VETERUM PHILOSOPHORUM QUALIA FUERINT DE ALEXANDRO MAGNO IUDICIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINI IN ACADEMIA LITTERARUM ROSTOCHIENSI AD SUMMOS IN
PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

TRADIDIT

LUDOVICUS EICKE
BRUNSVICENSIS.

ROSTOCHII.
TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.
1909.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum
rettulit: **Iohannes Geffcken,** prof. ordin.
Examen rigorosum habitum est die XIX. mens. Decembr.
MCMVIII.

Priusquam ad rem ipsam accedam, pauca mihi praefari liceat.

Iam inde ab anno 1907 exeunte quaestionem institueram, quomodo veteres philosophi de Alexandro Magno iudicavissent. Qua in re tractanda cum octo menses versatus essem, tum demum mihi occurrit liber Hoffmanni, qui inscribitur: Das literarische Porträt Alexanders des Großen im griechischen und römischen Altertum, Leipzig 1907. Primo igitur ea, de quibus ipse disputare in animo habebam, ab Hoffmanno confecta esse videbantur. At illo libello iterum atque iterum lecto tot et tantae res animum meum offendebant, quae a viro doctissimo quaestionem non profligatam esse docerent, ut operam meam frustra consumptam non esse mihi persuaserim. Hoffmannus enim quamquam permulta egregie perspexisse utique existimandus est, tamen philosophorum de Alexandri opinionum parum fortasse rationem videtur habuisse, immo haud pauca mihi de hoc capite quae accuratius exponerem reliquit. Sed accedamus ad rem propositam.

Multae sane iam nunc extant de Alexandro sapientium sententiae, multo autem plures fuere, priusquam omnium fere Alexandrinae quae dicitur aetatis scriptorum opera interirent. Quod detrimentum quo-

dammodo e posteriorum philosophorum libris servatis reficitur, qui illorum vestigia maximam quidem partem videntur esse secuti. Variarum autem scholarum dogmata ipsa cum doceant, qua de causa Alexander laudatus aut vituperatus sit, id quoque spectare debemus, quae conditio fuerit rei publicae et qua ratione philosophorum turba cum eo, qui imperio praeerat, coniunctus sit. Quod maximi momenti fuisse ex iis, quae sequuntur, capitibus cognoscemus. Quibus rebus perspectis totum argumentum in haec capita distribuere liceat:

I. Quae de Alexandro iudicaverint ii philosophi,
  1. qui regis aequales erant.
  2. qui Alexandrina, quae dicitur, aetate fuerunt.
  3. qui primo p. Chr. n. saeculo fuerunt.

II. Quantopere optimo rei publicae statu altero p. Chr. n. saeculo philosophorum sententiae commutatae sint.

III. De Juliano.

Appendix:

Quae veteres rerum ecclesiasticarum scriptores iudicaverint.

I.

Quae de Alexandro iudicaverint ii philosophi,

1. qui regis aequales erant.

De Alexandro Magno cum omnes fere homines eruditos, qui regis ipsius tempore erant, iudicia fecisse consentaneum sit, dubium non est, quin omnes res ab illo splendidissime gestae, quibus extremas Asiae gentes subiecit et sermonem, sapientiam, cultum Graecorum docuit, philosophorum potissimum animos commoverint, sive eos spectas, qui in ipsius regis castris versabantur, sive eos, quos donis, praemiis, pecunia procul prosequebatur, ut gloriam et sibi ipsi et doctrinae pareret[1]. Quo facto maiorem philosophorum partem Alexandro favisse iure dixeris. At restabat etiam, quae multa eius facinora graviter vituperaret.

Atque ab altera quidem parte stabat adulatorum manus. In quibus aliquantum dignitatis Anaxarchus[2]

[1] Quod Plutarchus quidem magna cum admiratione „de Alexandri fortuna aut virtute" 331 e et f commemorat. — Auctoritate regis animos eorum, qui in castris eius versarentur, maxime commotos esse Ed. Schwartzius non negat: Pauly-Wissowa s. v. Ἀριστόβουλος.

[2] Alexandrum Anaxarcho favisse tum, cum Callisthenem odisse coeperat, Hoffmannus p. 6 scribit.

fortasse sibi quidem videbatur servavisse, qui Alexandrum illudere ausus esset, cum se filium Hammonis putari iussisset (Laert. Diog. IX 10, 60), sed quantopere etiam ille praecepta philosophiae neglexerit, iis potissimum docetur, quae apud Plutarchum (ad princip. inerudit. 781a et b; vita Al. c. 52) et apud Arrianum (IV 9, 7 s.) leguntur: Philosophus sane regem, qui Clitum interfectum lugebat, flagitiosissime inhonestissimeque consolatus erat[1]. Recte igitur Satyrus Anaxarchum servili modo adulatum esse narrat[2]. Simili autem studio Onesicritus cynicus Alexandro blandiebatur, quippe quem omnia Alexandri facta in gloriam eius vertisse sciamus, quocum optime congruunt ea, quae Lucianus (quom. hist. conscr. sit 40) regem loquentem facit: *Ἡδέως ἄν, ἔφη, πρὸς ὀλίγον ἀνεβίουν, ὦ Ὀνησίκριτε, ἀποθανών, ὡς μάθοιμι, ὅπως ταῦτα οἱ ἄνθρωποι (οἳ) τότε ἀναγιγνώσκουσιν. εἰ δὲ νῦν αὐτὰ ἐπαινοῦσι καὶ ἀσπάζονται, μὴ θαυμάσῃς· οἴονται γὰρ οὐ μικρῷ τινι τῷ δελέατι τούτῳ ἀνασπάσειν ἕκαστος τὴν παρ᾽ ἡμῶν εὔνοιαν.* Qua de causa Hoffmanno adstipulor, qui Onesecritum, cum honorum cupidissimus esset, dissensisse scribit (p. 10) a cynicae scholae studiosis, quorum de Alexandro iudicia semper iniquissima fuissent.

Onesicriti sane vestigia Callisthenes sequitur, qui res ab Alexandro gestas tanta adulatione usus composuisse dicitur, ut a posteris iure severissimis verbis reprehenderetur. Diogenes enim illi opprobrio

---

[1] Gomperzio igitur adstipulari non possum, qui Anaxarchi mores laudat (Comment. Mommsen. 471 ss.).

[2] Müller F. H. G. III. frg. 18 (= Athen. VI 250 f.).

dat (Laert. Diog. VI 2, 45), quod se regis amicitia et gratia uti gloriatus esset, quo facto servi loco haberetur. Timaeus quoque duobus locis (Polyb. XII 12b, 1—2; 23, 3—4) Callisthenem philosophi nomine indignum se praebuisse censet, cum regi suasisset, ut se filium Iovis adorari iuberet. Ea autem ipsa de causa aliquid miri habet, quod Callisthenes paulo post, ne Alexandrum more Persarum deum salutaret, recusavisse narratur. Quam inconstantiam Kaerst[1], Oncken[2], alii viri docti varie interpretati sunt, quibus paululum oblocutus Hoffmannus rectius mihi videtur iudicavisse[3]: Callisthenem, qua esset in Anaxarchum invidia, regis in odium incidisse.

Supplicio igitur sumpto de philosopho philosophiae nomine indigno vel imprimis Aristotelem commotum esse, ut sententiam suam de rege mutaret[4], nihil est, quod post Hoffmannum doceamus, qui etiam de ceterorum peripateticorum iudiciis in universum tam recte exposuit[5],

---

[1] Geschichte des Hellenismus I. 353.

[2] Staatslehre des Aristoteles II. 292 ss.

[3] p. 5 et 6.

[4] Magnopere interesse mihi videtur, quae de hac ipsa re posteri philosophi vel rerum scriptores prodiderint. Dio Chrysostomus enim in orat. LXIV 20, quae Domitiano imperante habita est, regem magistro insidias paravisse censet, Arrianus (VII 27) Aristotelis consilio venenum missum esse, quo rex interficeretur, fuisse, qui narravissent, scribit. Gellius denique Alexandrum, cum in Asia esset, saepissime philosopho litteras misisse commemorat (XX 5, 7), quod summa admiratione dignum esset in imperatore tot et tantis negotiis onusto. — Iis autem, quae sequuntur, capitibus, quomodo haec philosophorum contentio orta sit, docebitur.

[5] p. 6 s. — cf. Kaerst: Gesch. d. Hellenismus I. 354.

ut pauca tantum addere possimus. Dicaearchum enim vehementissime vituperavisse legimus monstruosas Alexandri libidines, qui Bagoam spadonem amavisset neque ipso in theatro blandimentis abstinuisset (Athen. XIII 603 a). Cum illo autem iudicio conspirare videntur, quae Theophrastum scripsisse Hieronymus[1] narrat (Athen. X 435 a): *Ἀλέξανδρος οὐκ εὖ διέκειτο πρὸς τὰ ἀφροδίσια,* iam enim parentes eius *εὐλαβοῦντο . . . μὴ γύννις εἴη.* Cuius rerum scriptoris verba quamquam caute adhibenda sunt, tamen eo, quod uterque eiusdem scholae studiosus similia reprehendit, discipulos Aristotelis ipsius primos Alexandrum illo opprobrio affecisse demonstratur. Quin etiam illi regem non virtute sed fortuna adiutum bella gloriosissime gessisse censuerunt, cuius rei argumenta Hoffmannus affert p. 6.

Sed vehementissime Alexandro obstitisse Diogenes Sinopensis memoriae traditur[2]. Supra autem cynicum quendam suis oculis res ab Alexandro gestas intuentem evasisse adulatorem vidimus. Quod quidem sectae ipsi summo opprobrio dari cum posset, verisimile est tum illas de Diogenis cum Alexandro sermone fabulas fictas esse, quibus tota antiquitas tantopere delectabatur[3].

---

[1] Hieronymus quidem vir summae levitatis summaeque mendacii libidinis fuit et *„scheint das Feld der Weiber- und Knabenliebe mit besonderem Behagen behandelt zu haben“* (Susemihl Alexandr. Literaturgesch. I. 150), sed nihil obstat, quin illum vera Theophrasti verba attulisse putemus.

[2] Xenocrates quoque academicus magnam vim auri a rege oblatam repudiavisse dicitur (Cic. Tusc. V 32, 91).

[3] Cum temporum ratio admoneat, ne illos viros congressos esse pro certo habeamus (Natorp: Pauly-Wissowa s. v. *Διογένης*), eo, quod tot posteriorum temporum scriptores illius rei miro quodam

Multa autem alia, quae sapiens regi respondisse aut rescripsisse traditur, non philosophi ipsius, sed discipulorum fuisse constat. Quae hic omissa in sequente opusculi parte commemorabuntur.

Itaque iam Alexandro vivo discrepuisse cognovimus sententias philosophorum, quorum ii quidem regi favebant, qui Alexandro familiarissime usi erant, quibusque tanti viri admirandi cotidie copia erat largissima. Quae opinio post regis mortem haud ita multum temporis videtur perdurasse.

2. Quae de Alexandro iudicaverint ii philosophi, qui Alexandrina, quae dicitur, aetate fuerunt.

Cum philosophorum Alexandrinae aetatis opera pauca tantum fragmenta servata sint, difficile demonstrari potest, quomodo illo tempore philosophi de Alexandro iudicaverint. Cynicorum autem in universum sententiam cum supra perspexerimus, singula iam perlustrare liceat. Qua in re haud levis est momenti perspicere, quantum acerbitas iudicantium paulatim aucta sit.

Satis caute de Alexandro Cratetem et Teletem iudicavisse constat. Etiamsi alter, ne Thebae a rege dirutae restituerentur (Laert. Diog. VI 3, 93 ~ Ael. var. hist. III 6) subtili tantum modo recusat, alter eadem

consensu saepissime mentionem faciunt, hoc tantum docemur, omnibus persuasum fuisse Diogenis et Alexandri animos tantopere in contrarium abisse, ut consentire nullo modo possent.

ratione divinam illius originem illudit (Hense[2] 43, 6), tamen ab utroque Alexandrum leviter vituperatum esse mihi quidem verisimile videtur esse. Atque eandem moderationem nonnulla cynicae posterioris sectae ostentant apophthegmata, quibus Diogenes philosophus constanter et audacter regi identidem respondisse narratur[1]. Acerbiora iam verba legimus eo loco, quo Diogenes timore non perterritus, de nuntio ab Alexandro misso dixisse traditur: *Ἄθλιος παρ᾽ ἀθλίου δι᾽ ἀθλίου πρὸς ἄθλιον* (Laert. Diog. VI 2, 44). Praecipue autem ille superbiam regis, qui filium Iovis Hammonis ab omnibus populis gentibusque se putari et salutari iusserat, contemnit et irridet, quod illius pravum studium praeceptis philosophiae obloquatur. Itaque cum Athenienses illum Liberi sub nomine superis adnumerari decrevissent, vehementissime increpuit hominum stultitiam dicens: *Κἀμὲ* . . . . . *Σάραπιν ποιήσατε* (Laert. Diog. VI 2, 63).

Sed quae usque ad id tempus tractavimus, levia tantum sunt prae illo apophthegmate memoratu dignissimo, quo regem summa stultitia nequitiaque esse amici eius ipsi concessisse dicuntur[2]: Alexander enim cum multis comitibus regia potestate et dignitate confisus ad casulam aggreditur sapientis, quem comiter adloquitur: *Ὦ πίθε μεστὲ φρενῶν.* Quibus auditis Diogenes respondet: *Θέλω τύχης σταλαγμὸν ἢ φρενῶν πίθον.* Tum autem unus ex iis, qui cum rege advenerant, gravitate philosophi commotus, quantopere vis mentis laudanda, res a fortuna gestae contemnendae

[1] Laert. Diog. VI 2, 60; 68. Epict. diss. III 22, 92.

[2] Antonius et Maximus serm. de fort. prosp. et advers.

sint, Alexandrum docet. Illius igitur res secundae tribuuntur fortunae, quae eundem, cui nunc favet, paulo post deserat, Diogenes bona mente imbutus illi anteponitur. Atque studia regis negleguntur prae doctrina philosophi, qui re vera totius orbis terrarum princeps sine ira vitam agat.

Hoffmannus iam (p. 6) explicavit, quibus de causis peripateticos Alexandrum fortuna adiutum bella gessisse narravissent. Sed cynicos quoque atque maiore acerbitate idem iudicavisse verbis Diogenis vel discipuli cuiusdam docemur.

Hoc autem loco addere liceat ea, quae in epistulis eiusdem philosophi nomine imperatoris Augusti aetate fictis legimus. Hoffmannus quidem illas secundo p. Chr. n. saeculo scriptas esse censet, sed egomet eo ipso tempore, quo cynicorum ratio renasceretur, memoriam rerum a Diogene gestarum a discipulis revocatam esse verisimilius esse duco, id quod iam alii viri docti antea docuerant[1].

Epistulae autem 33 et 40 pluribus verbis de Alexandro agunt, qui tantis afficitur ignominiis, ut latro etiam appelletur. Sed cum iam Hoffmannus (p. 73—75) de his rebus optime disseruerit, singula sequi minime opus est. Nonnulla tantum, quae ab illo neglecta esse videntur, commemorem:

1. Ii quoque sapientes, qui epistulas scripserunt, divinam regis originem ab illo ipso fictam acri et

[1] Schafstaedt: De Diogenis epistulis 1892; Guilelmus Capelle: De cynicorum epistulis 7 ss; 17 ss; Marcksius: Symbola critic. ad epist. graec. p. 12.

subtili modo illudere conati sunt, cuius rei argumentum affert epist. 33. Diogenem enim Alexandro, qui casu quodam philosopho in theatro sedenti *τὸν ἥλιον ἀφείλετο,* loquentem faciunt: *ἀληθῶς ἀνίκητος εἶ μειράκιον, ὅτι καὶ θεοῖς τὰ ἴσα δύνασαι· ἰδοὺ γάρ, ὅ φασι τὴν σελήνην τὸν ἥλιον διατιθέναι ἐν τῷ γενέσθαι αὐτῷ καταντικρύ, καὶ σὺ ταὐτὸ τοῦτο εἴργασαι, ἐπεὶ δεῦρο εἰσελθὼν ἐμοὶ παρέστης.* Quae quidem verba optime docent, quomodo cynici aetate minores illud Diogenis *ἀποσκότησόν μοι,* quod a prioribus eiusdem scholae discipulis narratum erat, cum ironia amplificaverint.

2. Apophthegmata et epistulae quamquam sententiis congruunt, tamen verbis aliquantum discrepant, quorum hae acerbitate iudicii illa superant. Cui rei maximo argumento est epist. 24, quae turpissimo Alexandrum afficit opprobrio his verbis: *εἰ θέλεις καλὸς κἀγαθὸς γενέσθαι, ἀπορρίψας ὃ ἔχεις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ῥάκος παραγενοῦ πρὸς ἡμᾶς· ἀλλ' οὐ μὴ δυνηθῇς· κρατῇ γὰρ ὑπὸ τῶν Ἡφαιστίωνος μηρῶν.* Cynicae autem sectae philosophi priores illud flagitium Alexandro non exprobrant; Dicaearchum tantum et Theophrastum peripateticos de regis amore puerorum scripsisse vidimus.

Iam igitur cynicorum posteriorum deprendimus auctam iudicii de Alexandro severitatem. Illorum autem vestigia premit stoicorum secta. Cuius duo quidem nobis praesto sunt testes principales ceterorum vocibus iniquitate temporum ferme non servatis, Panaetius et Polybius. Ac Panaetii quidem nobis prostant et iudicia ipsius nomine allata et sententiae, quas apud Ciceronem ad philosophum referendas viri

docti consentiunt. Stoicus enim ille (de off. I 26, 90) facilitatem et humanitatem Philippi prae filii gloria et crudelitate laudat et alterum semper magnum, alterum saepe turpissimum fuisse censet. Quibus verbis facinora Alexandri, quae animos omnium hominum valde offenderent, vituperari certum est. In eodem autem opere (II 15, 53), quo Ciceronem, Panaetii libro *περὶ τοῦ καθήκοντος* usum esse constat[1], simili modo Philippus et Alexander comparantur: Patrem enim filii reprehendisse nimiam liberalitatem, qua Macedones minime sibi fideles et deditos, sed se ipsum ministrum ac praebitorem illis redderet; cui vituperationi Cicero vel Panaetius summa cum laude addit: *„Bene ministrum et praebitorem, quia sordidum regi, melius etiam, quod largitionem corruptelam dixit esse."* Sed summo opprobrio Alexander in libro de re publ. (III 14, 24) afficitur. Pirata enim quidam, cur latrocinaretur, a rege interrogatus se mare infestum facere uno *„myoparone"*, illum totum orbem terrarum respondisse narratur. Cum autem id quoque Ciceronis opus Panaetii auctoritatem secutum esse Schmekelius demonstraverit[2], illum stoicae disciplinae gravissimum testem Alexandri mores et res ab eo male gestas severissimis verbis reprehendisse cognovimus.

---

[1] cf. Schmekel: Philosophie der mittleren Stoa p. 18: *„(Cicero) hat in seiner Schrift über die Pflichten das gleichnamige Werk des Panätius derartig als seine Quelle gezeichnet, daß für die beiden ersten Bücher eine Untersuchung darüber vollkommen überflüssig ist."*

[2] l. l. p. 61—63.

Sed ad reliqua Ciceronis scripta accedamus, quorum ea, quibus „Tusculanae disputationes“, „de divinatione“, „de inventione“ inscripsit, pluribus verbis Alexandrum commemorant et magno inter se consensu vituperant. Cum autem propria Ciceronis iudicia in iis quoque libris desiderari constaret, multi iam viri docti, quinam philosophus auctor illius fuisset, docere conati sunt. Alii enim sapientem Romanum Posidonii, alii alius philosophi stoici opera imitatum esse censent[1]. Quibuscum non consentit Hirzelius[2], qui Ciceronem in Tusculanis libro quodam Philonis academici usum esse censet. Cui adstipulari non possum. Nam in Tusculanis ipsis Cicero facinora Alexandri, quae Panaetii animum offendisse supra dictum est, vituperat et iracundiam a natura abhorrere dicit (IV 37, 79): cui intemperantiae obnoxium fuisse Alexandrum, qui sui impotens ira incensus Clitum familiarissimum necavisset. Atque eiusdem libri verba, quae Callisthenem ab Alexandro crudeliter interfectum esse narrant (III 10, 21), idem spectare puto. Praecipue autem Cicero nimiam regis paenitentiam, qua facinora intemperanter commissa sanare voluisset, vituperandam esse censet; nam *„vix a se manus abstinuit; tanta vis fuit paenitentiae“* (IV 37, 79). Eandem pravitatem Senecae quoque animum offendisse cognoscemus, quem stoicae disciplinae studiosum fuisse constat.

---

[1] Heine: de font. Tuscul. Weimar 1863. Zietschmann: de Tusc. disp. font. Halle 1868. Corssen: Rh. Mus. 36 (1881) p. 506 ss. Poppelreuther: Quae ratio intercedat inter Posidonii *περὶ παθῶν πραγματείας* et Tusc. disp. Ciceron. Bonn 1883.

[2] Der Dialog I. p. 526. Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften III. p. 379 ss.

Quin etiam Cicero in Tusculanis regem bis cum philosophis comparat, ut magnitudini eius obtrectet, illorum gloriam augeat: Alexander enim Diogenem cynicum adlocutus sapientem beneficiis contemptis virtute intellegit eminere (V 32, 92), qui a potentissimo rege ne minimam quidem rem petiverit. Xenocrates quoque pecuniam ab Alexandro oblatam repudiat (ibid. 91) parvis rebus contentus. Itaque admonemur, ut Ciceronem stoici cuiusdam philosophi libro his quidem locis usum esse contra Hirzeli sententiam credamus.

Potentissimum autem quemque regem a sapiente superari iterum legimus de divinat. I 23, 47, ubi Calanus Indus in rogo Alexandrum paulo post vita decessurum esse divinat[1], qua re etsi rex non vituperatur, tamen philosophi virtus prae illius auctoritate augetur; paululum denique Alexandro Thebae deletae exprobrantur (de invent. I 50, 93).

Ciceronis igitur iudiciis stoicos secundi aut primi antechristiani saeculi reprehendisse docemur Macedonum regem, cuius virtutem ne minimo quidem verbo laudarent. Attamen non omnes illius scholae assectatores tanta acerbitate de rege scripsisse ex iis cognoscimus verbis, quae apud Polybium legimus. Qui quamquam philosophicas tantum rationes operi suo vere historico admiscuit, tamen, cum disciplinae stoicae studuerit[2], hoc

---

[1] Quamquam dubium non est, quin acumen horum verborum Calani divinatio habenda sit, tamen ea, quae narrantur, ad id quoque spectare puto, ut rex et philosophus comparentur.

[2] Scala: Die Studien des Polybius I. 201—255.

loco neglegendus non videtur esse[1]. Paululum autem valet, quod Polybius Megalopolitanus est natu, quod oppidum a Thebanis cum Epaminonda duce Lacedaemoniis bellum inferrent, conditum semper populis ad septentrionem spectantibus favebat i. e. Thebanis et Macedonibus[2]. Sed nimia admiratione Polybius abstinet neque regis merita supra humana tollit.

Iam ad verba eius accedamus! Maximi autem momenti est cognoscere, quibus de causis Alexandrum belli Asiae inferendi consilium cepisse Polybius existimaverit. Iram enim et odium Persarum, qui cum in Graecia bellum gererent, neque templis neque dis ipsis pepercissent[3], regem impulisse censet, qua re gloriae cupiditatem eum incitavisse negatur. Quo consilio impietatis Persarum ulciscendae comprobato Polybii animus minime offenditur eo, quod Alexander omnes civitates, quae huic bello obsistebant vel obsistere videbantur, summa crudelitate superaverat. Thebae igitur deletae ei exprobrari non possunt[4], cum oppidum Macedonibus infestissimum solo adaequandum esset, ut

---

[1] Ob eam ipsam causam Hoffmannus mihi videtur erravisse, qui ea, quae Polybius de Alexandro scripserat, paucis modo verbis p. 32 adn. 2 narraret.

[2] Wilamowitz: Isyllos p. 33: „*Die Großstadt Arkadiens war durch nordische Hilfe geschaffen, konnte sich nur durch Anlehnung an den Norden behaupten, und als moderne Gründung gravitierte sie nach der nordischen Großmacht hin.*“ — Megalopoli porticus, cui nomen Philippi erat, et simulacrum Ammonis in Alexandri gloriam positum inventa sunt.

[3] V 10, 8: *ὅτε διαβὰς εἰς τὴν Ἀσίαν μετεπορεύετο τὴν Περσῶν ἀσέβειαν εἰς τοὺς Ἕλληνας.* IX 34, 2: *ὅτι δὲ τιμωρίαν ἔλαβε παρὰ τῶν Περσῶν ὑπὲρ τῆς εἰς ἅπαντας τοὺς Ἕλληνας ὕβρεως.*

[4] V 10, 6; IX 34, 1—3; XXXVIII 2, 13 ss.

bellum Asiaticum pararetur[1]. Quin etiam regis probitas et pietas laudantur; omnibus enim, quae deorum erant, iussu eius temperatum est (V 10, 6 s). Polybius igitur iis ipsis rebus, quae regis gloriae obtrectare videbantur, nisus mores eius quam optimos fuisse demonstrat. Idem autem studium scriptorem commovit, ut cum Thebarum expugnatione, quarum interitus Graecorum nomini et gloriae calamitati erat, tot et tanta, quae Alexander patriae attulisset, commoda compararet (IX 34, 1—3). Nam illum re vera Graeciam Persarum imperio liberavisse dicit, qui etsi numquam armis vicisset, pecunia incolarum animos corrupissent. Quibus Polybii iudiciis scriptorem fortuna adiutum esse Alexandrum plane negavisse docemur.

At his Alexandri meritis nimiae laudes non tribuuntur. Immo vero ea, quae Philippus fecerat, prae consiliis et rebus ab Alexandro gestis Polybius Panaetii fortasse dictis paululum commotus minime contemnit, sed illum eadem in animo habuisse ac filium et subita tantum morte impeditum esse, quominus, quae vellet, perficeret, ipsi persuasum est (XXII 18, 10). Praeterea Alexandrum in rebus gerendis auxilio egregiorum amicorum adiutum esse demonstrat, qui maximis laboribus superatis Asiae moribus perniciosis abstinuissent et integritatem servavissent (VIII 12, 8—10).

Vidimus igitur Polybium stoicis eiusdem aetatis et oblocutum esse nec tamen opiniones eorum omnes longe

[1] Qua in re Polybii ipsius militaris usus, quem adulescens in Arcadia consecutus erat (Scala: l. l. p. 25 ss), philosophi sententiam adiuvat.

reiecisse, cum rationem etiam haberet eorum, quae de patre et filio prolata erant.

Tali modo cynici et stoici philosophi de Macedonum rege iudicaverunt. Cum autem libri ceterorum eiusdem temporis philosophorum interierint, iudicia fortasse iustiora addere non possum. Sed plures auctores Alexandro non favisse suspicor, cuius rei natura ipsa causa est, quae postulet, ut id, quod hoc tempore hominibus admirationi est, paulo post neglegatur et vituperetur. Quo enim quis laude dignior est, eo facilius haec oritur commutatio.

Usi sumus Ciceronis verbis, ut inde philosophiae Graeciae sententiam eliceremus; quo fit, ut non alienum a re instituta esse existimem scriptoris etiam in ceteris operibus de Alexandro iudicium, quale fuerit, perlustrare.

Mirum sane quantum ea, quae in epistulis et in orationibus leguntur, repugnant cum libris philosophicis[1]. Cuius rei causa in aperto est. Cicero enim quotiens sapientiae rationibus satisfacit, veteres auctores secutus Alexandrum contemnit et vituperat, quotiens ad humanas res spectat, eum probat et laudat. Minime igitur insolentiae fuisse ei videtur, quod

[1] Quacum ratione consentire non videntur verba orationis habitae pro Rabirio Postumo (9, 23), qui cum Ptolemaeo rege argentariam fecerat et illi totum se dederat. Cicero autem huius criminis eum absolvere conatus doctiores et clariores viros huius stultitiae participes fuisse dicit: Platoni enim Dionysium tyrannum, quo amico usus esset, insidias paravisse, Callisthenem etiam ab Alexandro familiarissimo necatum esse. Qua de causa ita de rege iudicetur, facile demonstrari potest. Cicero enim, qui accusatum quendam defendat, omni modo verba facit, quae reum excusent, neque promere cunctatur, quae suis ipsius sententiis obloquuntur. Quibus perspectis discrepantia evanescit.

Alexander, vir tantae gloriae, ab Apelle et Lysippo, optimis clarissimisque artificibus pingi aut fingi voluisset (ad famil. V 12, 7). Quin etiam regem nomine „Magni“ dignum esse putat[1] (pro Archia poeta 10, 24), cum scribat: *„quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur.“* Eximiae vero laudes regi attribuuntur in Philippica oratione quinta (17, 48), ubi Cicero viros summi ingenii optimaeque indolis adulescentes saepissime egregias res perfecisse docet. Nonnullis enim historiae Romanae exemplis enumeratis Alexander nominatur, qui quamvis decem annis ante consularem annum mortuus sit, tamen tot et tanta bella bene gesserit. — Atque re vera fieri poterat, ut rex tanti ingenii admirationi esset Ciceroni. Nam fama et gloria earum regionum et gentium, quae ab Alexandro victae Romanorum arma usque ad Ciceronis aetatem nondum exercuerant, animos eorum movere debebant. Illi igitur, qui in rebus militaribus versabantur, regem victorem laudabant et admirabantur, quorum a studio etiam Cicero non dissentiebat, qui patria periculis Catilinariae coniurationis servata summis in pace honoribus functus usque ad senectutem id spectabat, ut hostibus externis victis nomen imperatoris sibi pareret et triumphans urbem intraret. Nam cum quinquaginta sex annos natus in Ciliciam quasi in exsilium missus esset, cupiditatem gloriae explere conatus finitimos provinciae persecutus est bello, quod quidem minus prospere evenit. Itaque Ciceronem res ab Alexandro gestas admiratum esse et

[1] Cognomen „Magni“ iterum legimus pro Rab. Post. 9, 23.

gloriae eius paululum invidisse cognoscimus[1], cui studio minime repugnabant philosophiae dogmata, quae non tam Ciceronis ipsius quam praeceptorum eius fuerant. Unius denique epistularum ad Atticum scriptarum loci (XIII 28, 2) mentionem fieri oportet, cuius verba demonstrant, quanti fuerit momenti, utrum scriptor ei, qui rei publicae praeerat, faveret an obtrectaret. Tum enim cum Cicero epistulam modo commemoratam misit, Pompeio victo Romanorum imperio consulebat Caesar, quem odio fuisse Ciceroni notum est, cum liberam rem publicam deleturus esset. Quo dolore incitatus Cicero Alexandrum increpat, quem Caesaris similem fuisse censet. Macedonem vero, cuius adulescentis ingenio semina innata essent virtutis, virum bonae indolis oblitum esse et summa cum crudelitate regnavisse demonstrat. Ciceronis igitur ipsius odium et dolor ad ea, quae de Alexandro iudicabat, vehementer pertinuerunt et verba acria effecerunt, quae quidem antea rebus prosperis minime scripsisset. Quantopere autem

---

[1] Ciceronem, cum in Cilicia bellum gereret, Alexandri similem personam agere voluisse epistulae optime docent, quae illo tempore scriptae res a Cicerone gestas amicis nuntiant. Bis enim Macedonum rex commemoratur. Ad famil. II 10, 3: *„victoria iusta imperator appellatus sum apud Issum, quo in loco ...... Clitarchus tibi narravit Dareum ab Alexandro esse superatum."* Ad Attic. V 20, 3: *„Hic* (in Cilicia) *a. d. III. Id. Octobr. magnum numerum hostium occidimus ......, imperatores appellati sumus. Castra paucos dies habuimus ea ipsa, quae contra Dareum apud Issum Alexander, imperator haud paulo melior quam aut tu aut ego."* Atque proxima imprimis verba, quamquam plena dissimulationis et modestiae videntur esse, tamen animum inanem et ostentationem demonstrant eius, qui ita scribere audeat.

hoc philosophorum studium imperatoribus, qui pravitate, corruptis moribus, feritate Caesarem longe superabant, dominantibus augeri potuerit, haec verba iam optime praemonent.

3. Quae de Alexandro iudicaverint ii philosophi, qui primo p. Chr. n. saeculo fuerunt.

Quae usque ad id tempus legimus iudicia, quamquam satis infesta sunt Alexandro, tamen prae iis, quae primo post Christum natum saeculo leguntur sententiae, mitissima putanda sunt. Vituperationes enim a L. Annaeo Seneca prolatae, quibus inimiciores scribi non possunt, fastigium quasi imponunt philosophorum in Alexandrum odio. Ac stoicae quidem scholae studiosum Alexandri virtuti, rebus gestis, gloriae laudem non attribuisse mirum non est, sed tam acerba verba, quibus Seneca Macedonum regem affecit, praeceptis philosophiae nullo modo orta esset, nisi sapientis ipsius animus crudelitate et facinoribus imperatorum Romanorum commotus et incitatus esset. Quod certe fieri oportuit Caligula, Claudio, Nerone imperantibus, qui tanta cum immanitate imperio fungebantur, ut a re publica gerenda abhorrerent omnium scriptorum animi, qui ira imperatoris tum dominantis incensi alios quoque principes oderant eorumque gloriae obtrectabant[1]. Atque hoc

[1] Quantopere imperatorum pravitas ad philosophorum pertinuerit iudicia, optime docemur iis, quae Lucanum, Senecae fratris filium, de Macedonum rege iniquissime scripsisse Hoffmannus p. 56—58 exposuit. Pluribus autem verbis Christensen

studium maioris erat ponderis apud philosophos ipsos, quibus imperatores insidias parabant, cum multi viri, qui sapientium praeceptis operam dederant, liberam rem publicam restituere cuperent. Itaque Tiberii iam temporibus nonnulli philosophi[1] inter suspectos numerati exsilio multati sunt, quod exemplum Caligula, Claudius, Nero imitabantur. Sed paulo post tota etiam philosophorum turba Vespasiano (anno 71) et Domitiano (annis 89 et 95) imperantibus Roma et Italia cedere coacta est. Ne Senecae quidem, qui Romae auctoritate et honoribus utebatur et studio ac voluntate cum urbe coniunctus erat, fortuna pepercit: a Claudio in exsilium missus est. Quamquam autem octo annis post summis laudibus ornatus revertit, tamen neque prioris ignominiae neque calamitatum laborumque exsilii obliviscebatur, praesertim tum cum sub finem vitae iterum domum principis relinquere coactus est. Philosophi igitur crebra fortunae varietas optime nos docet, qua de causa sententiae eius sibi non constent.

Atque prioribus Senecae operibus certe adnumerandi sunt libri, quibus „de ira" agitur, quamquam viri docti dissentiunt, quo anno illi scripti sint. Nam cum philosophus ipse exsilium non commemoret, alii libros ante annum 41, alii post mortem Caligulae (49) compositos esse censent; quibus omnibus sententiis obloquitur

(Alex. d. Gr. b. d. römisch. Dicht. N. J. f. Ph. 1909, I. Abt. XXIII. B. 2. H.) cum aliis rationibus tum patrui sententiis Lucani contra Alexandrum iram incitatam esse recte mihi videtur demonstravisse (p. 121—130).

[1] Friedländer: Der Philosoph Seneca (Histor. Zeitschr. 1900, B. 49 p. 201).

Gerckius[1], qui duabus partibus constitutis libros I et II, priusquam Seneca exsilio multatus esset, librum III in Corsica ipsa scriptum esse demonstrat. Si quis autem ea, quae in illis libris de Alexandro leguntur, diligenter perspexerit, is certe a Gerckii partibus stabit, cum re vera illa de Macedonum rege iudicia primi et secundi libri a tertio discrepent. Duobus enim locis priorum librorum (II 2, 6; 23, 2 et 3) Seneca omni vituperatione abstinet, immo altero quidem id, quod Alexander fecerat, probat et virtutem laudat eius, qui quamquam omnes familiares et mater ipsa per litteras suaserant, ne Philippo medico sese permitteret, tamen tanta moderatione usus esset, quae quo rarior apud reges inveniretur, eo dignior esset memoratu.

Quibus perspectis Senecam stoicae philosophiae praecepta paene neglexisse apparet[2], id quod mentione dignissimum est, cum argumentum illius scriptionis satis occasionis dederit Alexandri opprobriis afficiendi. Acerbo autem iudicio minime opus esse videbatur tum, cum Seneca Romae summis honoribus usus versabatur. At paulo post ab imperatore Claudio exsilio multatus in Corsicam missus est[3]. Tanta autem rerum commutatio ad rationes philosophi, qui Romae ipsius deliciis carere non poterat, pertinuit. Res igitur ipsa postulabat,

---

[1] Senecastudien p. 285, Neue Jahrb. f. Philol. Suppl. 22 (1896).

[2] Scriptorem ipsum stoicae philosophiae deditum Alexandri laudes scholae opinioni obloqui non negavisse haec verba docent: *„eo magis in Alexandro laudo, quod homo tam obnoxius irae fuit."*

[3] Quanta haec fuerit commutatio, optime docet Friedländer: l. l. p. 202 ss.

ut Seneca philosophiae, cuius praeceptis iam antea studuerat, diligentius sese daret et una odium contra omnes principes oreretur, quod cum ad alios priorum quoque aetatum reges tum ad Alexandrum serpsit. Certe, si quis ea, quae in tertio „de ira" libro (17) philosophus de Alexandro dixit, perspexerit et cum laudibus priorum librorum comparaverit, inter illa aliquantum interesse non negabit. Alexandri enim facinorum, quae ira incensus commiserat, mentio fit, et acerrimis verbis rex vituperatur, qui Clitum familiarissimum interfecerit et Lysimachum leoni obiecerit, quod atrox facinus discipulo Aristotelis ipsius minime dignum esset. Itaque dubium non est, quin Seneca odio imperatoris Claudii [1], a quo crudeliter in exsilium eiectus erat, commotus sit, ut Alexandri quoque facinora tam vehementer vituperaret, quin etiam alio eiusdem libri loco (23, 1) easdem res acerbioribus verbis adhibitis narraret [2].

Quibus de causis Gerckium recte perspexisse librum tertium operis, quo „de ira" agitur, in exsilio scriptum esse pro certo habeo [3]. Exemplum igitur assecuti

---

[1] Odii illius testimonium manibus terimus *ἀποκυλοκύντωσιν*.

[2] Seneca hanc regis pravitatem primus non vituperavit, immo vero illa Ciceronis iam animum offenderat. Attamen huius scriptoris iudiciis Senecae sententiae dissimillimae sunt, qui cumulet maleficia, severioribus verbis reprehendit, regis in Lysimachum crudelitatem narret, cuius ille mentionem non fecerat. de benef. I 13, 3: *„tam hostium pernicies quam amicorum."* de clement. I 25, 1, ubi Lysimachus nominatur. epist. 83, 19: Cliti nex vituperatur. 113, 29: *„occiso amico."* nat. quaest. VI 23, 2 s: Callisthenes interfectus est.

[3] Quod quidem maximi momenti est, cum cetera eiusdem temporis opera Annaeana (ad Helv. de consol.; ad Polyb. de consol.; de brevit. vit.) regem non commemorent.

sumus, quo principatu imperatorum Romanorum re vera philosophorum de Alexandro iudicia commutata esse docemur.

Claudio autem mortuo Agrippina Senecam revocavit, ut Neronem adulescentem diligenter educaret. Qui cum patri successisset, magister discipulo dedicavit librum, quo eum de praeceptis philosophiae admonebat et ad clementiam adhortabatur. Uno quidem illius scripti loco mentio fit Alexandri (I 25, 1), sed mores eius severissime vituperantur. Macedonum enim regem totum orbem terrarum pervagatum esse ferarum ritu[1], quae sanguine et vulneribus delectarentur, et leonis cruore respersi similem fuisse censet, quia suo ore atque suis dentibus amicum et familiarem paene dilaceravisset. Monstrum igitur historiae fabularis nobis ante oculos ponitur humano generi perniciosissimum. Philosophus sane, qui tantam saevitiae et crudelitatis vim explicat, caelesti quodam instinctu mentis futura videtur divinasse. Nam quomodo Seneca Alexandrum furentem hoc libro facit, nonnullis annis post ipsius discipulum omnium philosophiae praeceptorum oblitum re vera in homines constat saevisse.

At quibus de causis Seneca tum etiam tam acerbe de Alexandro iudicavit? Certe memoria rerum adversarum, quas in exsilio tulerat, odium illius excitare non desiit. Praecipue autem philosophus, ut nimiam severitatem crudelitatemque semper male evenisse doceret et Neronis animum summo scelerum taedio impleret,

[1] cf. ep. Diog. 40.

eventus saevitiae quam acerrimos gravissimosque pingebat. Itaque Alexandrum iniquiore animo descripsit, quam illum re vera fuisse ipse pro certo habebat, quod facile cognoscet is, qui huius loci sententias cum ceterorum operum iudiciis comparaverit. Nusquam enim verba tantae vituperationis plena legimus. Immo vero iis scriptis, quae eodem fere tempore composita sunt[1], Macedonum rex omnino non commemoratur, cuius rei causa in aperto est. Nam Seneca, qui Romae summa potentia praeditus quasi imperator ipse imperio praeerat, crudelitatem et res cum a ceteris principibus tum ab Alexandro male gestas vituperare non poterat; quod si fecisset, memoriam facinorum Caligulae et Claudii renovaturus et populo Romano servitutem, qua premebatur, ante oculos positurus fuerit. Ratio igitur talia commerorari vetuit, quamquam occasio reprehendendi minime deerat. Nam cum Seneca „de vita beata" scriberet, res ipsa quasi postulare videbatur, ut mentio fieret Alexandri, quem cum Diogene Corinthi congressum esse inter omnes constaret. Qua re narranda optime sapientis animus contentus, regis superbia ac pravitas demonstrari potuerunt; quam occasionem philosophus certe eo consilio praetermisit, ne sibi repugnare cogeretur.

Quae quidem modo dixi, praecipue nos adiuvant perscrutantes, quo anno libri „de beneficiis" compositi sint. Qui cum certe post mortem Claudii (54) scripti sint et Seneca ipse in epistula 81, 3, quam anno 64 a

[1] cf. p. 24.

philosopho missam esse Hilgenfeldus docet[1], illorum meminerit, spatium decem annorum efficitur: 54—64[2]. Viri autem docti Senecam illos libros edidisse demonstrare conati sunt, priusquam Neronis domum reliquisset. At huic opinioni obloquitur Gerckius, qui denuo duabus partibus constitutis libros I—VI annis 60—62, librum VII anno 63 scriptum esse censet. Quam ad rem enucleandam agedum comparemus, quae modo iudicia de Alexandro legimus, cum verbis et quae antecedunt et quae sequuntur operum. Atque re vera hanc rationem in quaestione diiudicanda vituperari non posse Gerckius ipse demonstrat scribens (p. 306): *„Freilich hat Seneca sich auch hier . . . . in der Zugabe eigener Erläuterungen und Beispiele von seinem Empfinden und auch, wenn ich den Mann richtig beurteile, von praktischen Gesichtspunkten leiten lassen."* Itaque cum exempla a philosopho adhibita gravissima temporis testimonia videantur esse, totum opus, postquam Seneca anno 62 domum principis reliquit, scriptum esse dixerim.

Argumentatio autem mea sex locis[3] nititur, quibus de Alexandro iudicia extant. Philosophus enim regem hominem super mensuram humanae superbiae tumentem (V 6, 1) fuisse censet, qui Herculem et Liberum imitans *„mente vanissima"* (I 13, 1 s) id spectavisset, ut gloria sua ab omnibus usque ad caelum tolleretur,

---

[1] L. Annaei Senecae epist. moral. Neue Jahrb. f. Phil. Suppl. 17 (1890) p. 601 s.

[2] id quod Gerckius quoque agnoscit p. 306 ss.

[3] I 13; II 16; V 4, 3 et 4; 6, 1; VII 2; 3.

qua in re minime virtus, sed „*felix temeritas*“ (VII 3, 1; I 13, 3) eum adiuvisset. Itaque „*latro gentiumque vastator*“ est (I 13, 3) et totas gentes „*aviditate caeca*“ (VII 2, 6) evertit, „*tam hostium pernicies quam amicorum*“ (I 13, 3). Atque tantam regis immanitatem nullo modo diminui vel oblitterari censet sapiens eximia illa liberalitate, qua Alexander usus suos praemiis afficere vel eos, quorum animos offendisset, sibi reconciliare soleret. Quantae enim insolentiae esse viro agello et pecunia exigua contento urbes donare, praesertim cum ille se ipse tali praemio indignum esse concederet. Quin etiam tantam liberalitatem scelus habendam esse, quod „*personarum et dignitatium portio*“ desit (II 16, 2).

Haec igitur Senecae de Alexandro iudicia repugnare constat contra ea, quae opera annorum 54—62 nos docent. Illis enim libris, ut supra dictum, rex omnino non commemoratur, quamquam occasio reprehendendi oblata erat, quae in libris quidem „de beneficiis“ minime data esse videtur. At his ipsis scriptis mores regis tam iniquo animo describuntur, ut si argumenta, quae obloquuntur, desunt, libros „de beneficiis“ et eos, quos p. 24 commemoravimus, eodem fere anno scriptos esse ratio vetet. Qua vero de causa philosophi iudicia tantopere commutata sint, facile ex iis cognoscitur, quae anno 62 facta sunt. Nam Senecam Neronis principis domum, ubi philosophicas res prudentia commotus tacuerat, post Burri, praefecti praetorio, mortem reliquisse scimus. Sed quamquam ipse huius consilii auctor erat, tamen odio et insidiis imperatoris deponere

cogebatur dignitatem, quae semper ei perniciei esset. Atque talibus temporum varietatibus fortunaeque vicissitudinibus optime demonstrari, quo tempore opera Senecae scripta sint, Gerckius quoque comprobat[1]: „*[Seneca] gehörte nicht zu den einsamen Denkern, die dem Treiben der Welt entrückt der Forschung ihr Leben widmeten, sondern er stand mitten in dem politischen Leben und wählte seine Themata, die er mit unglaublicher Leichtigkeit behandelte, meist nicht nur seiner augenblicklichen Stimmung, sondern auch ganz äußerlichen persönlichen und politischen Zwecken gemäß.*“ Quibus rationibus commotus Seneca saepe sententias commutabat. Sed cum a publicis negotiis sese removisset, nihil impedivit, quominus, quae philosophiae praecepta secutus de tyrannis vel regibus iudicaret, scriptis suis committeret. Eo ipso autem tempore hoc illius maxime interfuisse pro certo habeo; iam dudum enim discipulum iuste et clementer imperio praefuturum esse spes eum fefellerat. Itaque rationes stoicorum, quae, cum philosophus ipse dignitate summa uteretur, quamquam non abiectae, tamen paululum neglectae erant, cum acerbitate et severitate redintegratae sunt. Si igitur libros „de beneficiis“ post secessum Senecae scriptos esse recte putaverimus, iudicia, quae inter se discrepant, non iam offendunt.

Quo concesso illi eodem fere tempore compositi sunt ac naturales quaestiones et epistulae morales[2],

---

[1] l. l. p. 282.

[2] Gerckius nat. quaest. annis 62—63, epist. moral. 63—64 scriptas esse censet, cui opinioni assentitur O. Binder: Die Abfassungszeit von Senecas Briefen, Tübingen 1905.

id quod coniecturam meam confirmat, cum simili modo in his libris Alexander vituperetur eiusque gloriae obtrectetur. „*Infelicem*“ enim scriptor appellat eum, quem „*furor aliena vastandi*“ ad stragem incitet (epist. 94, 62), ne saevitia desistat. Rex autem furibundus videtur esse (nat. quaest. VI 23, 2), qui propter summam crudelitatem et cupiditatem magis bestiae quam homini similis est[1]. Quibus vitiis facinora oriuntur, atque id quidem tum, cum sensus regis vino sunt umbrati[2]. Clitus igitur in epulis interfectus a Seneca commemoratur (epist. 83, 19). At summam philosophi iram summamque invidiam perspicimus, quo loco Alexander odio incensus Callisthenem, sapientiae praeceptis eruditum, necavisse narratur (nat. quaest. VI 23, 3): Neque enim pulcherrimis victoriis neque expugnatis hostium oppidis neque summa fortitudine huius criminis regem absolutum, immo vero identidem vexatum iri philosophi verbis: „*Callisthenem occidisti!*“

Praeterea autem Seneca Alexandro opprobrio dat, quod se cum illustribus historiae fabularis viris comparaverit, qua in re cogitationes eius in Herculem intendissent (epist. 94, 63); quin etiam regem superis adnumeratum et ab omnibus ut deum adoratum esse scribit (epist. 59, 12). Quo pravo studio philosophi

---

[1] „*immanium ferarum modo*“ epist. 94, 62; „*ferarum more*“ nat. quaest. V 18, 9.

[2] Quamquam huius rei historiarum scriptores antea mentionem fecerant, tamen philosophi prioris aetatis, qui quidem nobis noti sint, illo opprobrio abstinuerant. Senecae igitur verba sententias sapientium in incremento fuisse optime docent.

animus offenditur, qui, ut et regis imbecillitatem demonstret et divinam illam originem illudat, Alexandrum, quamquam in obsidendo quodam oppido sagitta ictus dolores, qui eum cruciarent, suos celare conatus esset, tamen paulo post equo descendisse et mortalem se esse concessisse narrat exclamantem: *„Omnes . . . iurant esse me Iovis filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.“* (= Anaxarchus ap. Laert. Diog. IX 10, 60).

Itaque factum est, ut philosophus bella a rege gesta ad commodum et felicitatem incolarum spectavisse negaret, quin etiam latrocinia habenda esse scriberet (nat. quaest. III praef. 5)[1]. Eo maiore autem vituperatione dignos esse censet illos (epist. 91, 17), qui regem omnibus fere vitiis onustum cognomine „Magni“ appellavissent, et, ut studiorum humanorum humilitatem doceat, magnum quicquam in *„pusilla“* terra esse negat: Alexandrum vero, cui falsum esset cognomen, infelicem putandum esse. Nec tamen haec Senecae verba Ciceroni, qui philosophorum primus illo cognomine usus erat, repugnare crediderim, sed rerum scriptorum pravitas, quibus auctoribus ille homo perniciosus tantum honorem acceperat, vituperata esse videtur. Verum Senecae iudicium a Ciceronis verbis discrepans haud levis est momenti. Denuo enim demonstratur, quantam uno tantum saeculo peracto philosophorum iudicia acerbitatem spirent.

[1] Qua in re gravissimum est, quod Seneca Philippum patrem simili ac filium modo vituperat. Prioris enim temporis stoici velut Panaetius iis ipsis locis, quibus Alexandrum opprobriis afficiebant, patris merita auxerant atque laude et gloria digna putaverant (cf. p. 13). Quibus verbis obloquitur Seneca, cuius ingens in principes odium et patrem et filium vulnerat.

Sententias igitur horum operum cum iis, quae libri „de beneficiis“ docuerant, optime congruere cognovimus. Quibus etiam nonnulla de Alexandro iudicia adnumerari possunt, quae cum naturalibus quaestionibus et epistulis moralibus tum libris „de beneficiis“ contineantur.

I. Cum priora Annaeana opera, qua de causa Alexander bellum Asiaticum gesserit, nullo modo doceant, libri post subitum philosophi secessum scripti regis gloriae cupiditatem vituperant. Quae Senecae sententia repugnat contra ea, quae apud vetustiores stoicos philosophos legimus. Nam Polybius potissimum regem suscepisse bellum in Asia gerendum demonstraverat, ut Persarum impietatem puniret.

epist. 91, 17: „*vesanus homo et trans oceanum cogitationes suas mittens.*“ 119, 7: „*quaerit, quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in oceanum classes novas mittit et . . . . mundi claustra perrumpit.*“ 113, 29: „*quicquid gentium usque in oceanum extendit oriens, vastabat fugabatque.*“ nat. quaest. V 18, 10: „*ulterior Bactris et Indis volet quaeretque, quid sit ultra magnum mare.*“ Quibuscum verbis congruunt ea, quae de benef. VII 2, 5 legimus: „*cum in oceano Onesicritus praemissus explorator erraret et bella in ignoto mari quaereret.*“ — „*cui* (Alexandro), *quamquam in litore rubri maris steterat, plus deerat, quam qua venerat*[1].“

---

[1] Quae eodem loco invenimus: „*qui extra naturae terminos arma proferret*“, simili modo in epist. 119, 7 philosophus explicat his verbis: „*mundi claustra perrumpit.*“

II. Duobus locis philosophum ad eadem spectantem iisdem fere verbis usum esse demonstrari potest.

de benef. V 6, 1: *„regnum a Thraciae angulo porrectum usque ad litus incogniti maris."* nat. quaest. VI 23, 3: *„imperium ex angulo Thraciae usque ad orientis terminos protulit."*

III. Et libri „de beneficiis" et „naturales quaestiones" idem regis cognomen adhibent, ut eius pravitatem et temeritatem significent.

de benef. I 13, 3: *„vesanus adulescens."* II 16, 1: *„Alexander .... vesanus."* epist. 91, 17: *„vesanus homo ....."* Quibus locis adiungenda sunt verba epistulae 94, 62, ubi legimus: *„an tu putas sanum, qui a Graeciae primum cladibus, in qua eruditus est, incipit?"*

IV. Maximi momenti est et consensum optime significat, quod illis scriptis Alexander, qui se Herculis et Liberi similem esse putaverit, iisdem ipsis verbis vituperatur, ita ut paene usus sibi constans loquendi ortus esse videatur.

de benef. I 13, 2: *Herculis Liberique vestigia sequens."* VII 3, 1: *„per Liberi Herculisque vestigia."* epist. 94, 63: *„ab Herculis Liberique vestigiis*[1]*."*

Illae autem observationes, quibus saepe easdem sententias eademque verba repetita esse docemur, postulant, ut omnes illi libri eidem fere tempore attribuantur. Quocum optime congruit opinio Geffckeni,

[1] Sine dubio huius comparationis rerum scriptores erant auctores, quos Seneca imitabatur. Menandrum quoque et Vergilium iisdem verbis usos esse Hoffmannus p. 33 et 34 docet.

qui in iis Senecae operibus, quae philosophus senex scripsisset, sortis miserrimae Socratis saepius quam in prioribus libris mentionem factam esse docuit[1], quasi sapiens magistri imaginem semper ante oculos habuisset, cum se ipsum illius similem paulo post moriturum esse animo praesagiente sentiret. Idem sane in libris „de beneficiis" cognoscimus, qui Socratem multis locis nominant et summis laudibus afficiunt. Quin etiam eorum sex locorum, quibus de Alexandro iudicatur, duo (V 4, 3; 6, 1) illius philosophi nomen afferunt. Sententia igitur compluribus aliis causis probata denuo firmatur.

Nec neglegenda denique sunt verba epistulae 81, 3, quibus libri „de beneficiis" commemorantur. Ibi enim legimus: *„Sed de isto satis multa in iis libris locuti sumus, qui de beneficiis inscribuntur: illud magis quaerendum videtur, quod non satis, ut existimo, explicatum est, an is, qui profuit nobis, si postea nocuit, paria fecerit et nos debito solverit."* Itaque ea, quae in illa epistula scripta sunt, disputationes prioris operis pluribus verbis exsequuntur. Sin multi anni praeterissent, talis coniunctio et tam subtilis memoria meo quidem iudicio effici non potuit. — Omnes igitur rationes admonent, ut spatium decem annorum aliquanto diminuatur et in tres tantum annos concludatur: **62—64.** Qua re concessa scriptoris aliquot verba, quae nunc iam addam, maioris etiam ponderis evadunt. Duobus enim locis (V 4, 3 et 4; 6, 1) Seneca regem comparat cum philosopho summa continentia et moderatione animi praedito. Quae comparatio, quam-

[1] Sokrates und das alte Christentum. 1908 p. 13.

quam prioribus temporibus nullius erat ponderis, tamen illa aetate, qua imperatores crudelissimi dominabantur, certe auctoritate aliqua erat, propterea quod re vera rationes philosophiae et Caesarum inter se confligere poterant[1]. Si igitur ea, quae supra diximus, recte se habent et libri „de beneficiis“ post philosophi secessum scripti sunt, horum verborum vis augetur. Sapiens enim ille, quem neque cupido neque desideria moveant, cui fortuna nihil praebeat, qui omnibus curis liber totum litteris se det, Seneca ipse est, qui eodem modo ac Diogenes non cunctatus tyranni opes contemnit et maiorem virtutem integritatemque morum praestat. Atque Alexander superatus a Diogene Nero ipse est, quem Seneca philosophus vincit[2].

---

[1] Simili ac Senecam modo Lucanum res ab Alexandro gestas imperio crudelissimo Neronis commotum summa cum invidia descripsisse (Phars. X 20 ss) Christensen optime docuit (l. l. p. 127 ss).

[2] Quantopere autem rei publicae mala conditio eorum etiam animos, qui philosophiae plane expertes erant, commoverit, intellegemus ex iis, quae de Alexandro iudicaverit Curtius Rufus. Quo quidem tempore ille fuerit, viri docti discrepant: Hirt: Über das Leben des Geschichtsschreibers Q. Curtius Rufus. G. Schmid: Zur Frage über das Zeitalter des Q. Curtius Rufus (Neue Jahrb. f. Ph. 113 p. 176). Wiedemann: Über das Zeitalter des Geschichtsschreibers Rufus (Philolog. 30, 1870, p. 241 et 441; Philolog. 31, 1873, p. 158). Crude autem Pichon mihi videtur erravisse, qui Curtium Rufum quarto p. Chr. n. scripsisse saeculo demonstrare conatus sit (Revue de Philol. 1908, 210—214). Rectius sane ii viri docti iudicaverunt, qui cum Senecae et Curtii verba simillima essent, alterum alterius libris usum esse censuerint. Atque re vera compluria de Alexandro narrata et in Senecae et in Curtii operibus iisdemque paene verbis scripta legimus, cuius rei pauca addam exempla:

Senecae igitur iudicia iniquissima fuisse cognovimus[1]. Iisdem autem atque ille causis commotus rebus ab Alexandro gestis obtrectavit Epictetus[2], qui cum eidem studuerat disciplinae tum exsilio multatus (anno 95) crudelitatem et invidiam Domitiani perpessus erat. Quamquam autem paucis tantum locis Alexander commemoratur, tamen de Senecae fere acerrimis vehemen-

Curtius.	Seneca.
unum animal .... temerarium et vecors (IV 14, 18).	*tumidissimum animal* (de benef. II 16, 2). *oblitus non ferocissima tantum, sed ignavissima quoque animalia timeri* (ibid.).
omnium gentium .... latroes (VII 8, 19).	*latro gentiumque vastator* (ibid.).
avaras et insatiabiles manus (ibid.).	*manus ista, ... insatiabile gentium malum* (de clement. I 25, 1).
cupido ..... trahebat paene extra terminos solis (IV 8, 3).	*qui extra naturae terminos arma proferret* (de benef. VII 2, 6); *it tamen ultra oceanum solemque* (epist. 94, 63).

Quae cum ita sint, Schwartzio non assentior, qui alterum scriptorem alterius opere usum esse negat (P.-W. s. v. Curtius), sed philosophum rerum scriptoris librum legisse pro certo habeo.

[1] Mentionem iam inicere liceat Philonis Alexandrini, qui eodem fere ac Seneca erat tempore. Cuius verba cum illius iudiciis congruunt. Calani enim gloria augetur prae rebus ab Alexandro gestis (II. 64 M.). Alio etiam loco (I. 150 M.) Macedonum regis superbia severissime reprehenditur: „*Καὶ γὰρ ἐκεῖνόν* (Alexandrum) *φασι, ἡνίκα Εὐρώπης καὶ Ἀσίας ἔδοξεν ἀνάψασθαι τὸ κράτος, ἐν ἐπικαίρῳ χώρῳ στάντα καὶ πάντα περιαθρήσαντα εἰπεῖν, ὅτι „καὶ τὰ τῇδε καὶ τὰ τῇδε ἐμά“, μειρακιώδους καὶ νηπίας καὶ ἰδιωτικῆς τῷ ὄντι ψυχῆς, οὐ βασιλικῆς ἐπιδειξάμενον κουφότητα.*“

[2] Bonhöffer: Epiktet und die Stoa, Untersuchungen zur stoischen Philosophie, Stuttgart 1890.

tissimisque admonemur verbis eo loco, quo multi homines incendisse et delevisse narrantur templa et aras deorum, quorum consilio amicum aut familiarem iniuria amisisse putarent (II 22, 17): *ὥσπερ Ἀλέξανδρος ἐκέλευσεν ἐμπρησθῆναι τὰ Ἀσκλήπεια, ἀποθανόντος τοῦ ἐρωμένου.* Qua in re praeterire non licet, quod Epictetus ne *παιδεραστείας* quidem opprobrio abstinuit, quo a cynicis philosophis regem affectum esse reminiscimur.

II.

Quantopere optimo rei publicae statu altero p. Chr. n. saeculo philosophorum sententiae commutatae sint.

Acerrime Alexander vituperatus erat a philosophis prioris aetatis, neque fieri poterat, quin iudicia illorum severitate superarentur. At prava illa regis imago deleta est. Quod quidem accidere poterat iis tantum temporibus, quibus principes Romani summa clementia et iustitia usi animos et virorum nobilium et philosophorum reconciliabant. Atque Domitiano mortuo illa facta est commutatio, incessit autem potissimum eo, quod Nerva et Traianus philosophiae praeceptores, qui prioribus principibus odio fuerant, magni aestimabant. Quantopere autem temporum opportunitas ad iudicia illorum pertinuerit, ea quae sequentur docebunt.

Cuius aetatis sapientium primus nobis occurrit Dio Chrysostomus, vir miri ingenii, qui et maiorem

vitae partem Domitiano imperante agebat et meliore rei publicae conditione fruebatur, cum Nerva et Traianus Flaviae genti successissent. Quod orationibus illius ipsius optime demonstratur, quarum, quae ante annum 96 scriptae sunt, Alexandrum reprehendunt, quae initio saeculi secundi habitae, laude regem afficiunt. Atque de Alexandro iudicia in quattuor orationibus *περὶ βασιλείας* prostant, quarum numerum Arnimius auget[1], cum in oratione 62 *(περὶ βασιλείας καὶ τυραννίδος)* vestigia inesse dicat complurium orationum, quae de iisdem rebus egerint.

Si quis iam orationes II et IV diligenter legerit, summum inter eas esse non negabit discrimen, id quod Arnimius plane mihi neglexisse videtur ad Traianum utramque orationem habitam esse ratus[2]. Cum enim oratione II rex verbis honestissimis laudetur eiusque virtutes ad caelum tollantur, iudicia philosophi, quae oratio IV praebet, multo iniquiora sunt, quod quidem comparatione facta facile intellegemus.

Oratione enim priore Dio Philippum et Alexandrum loquentes facit de Homero poeta, cuius carmina filius amore et admiratione inflammatus tantopere laudat, ut indoles eius optime cognoscatur. Atque Homerum re vera vatem regium fuisse, quocum ceteri nullo modo comparari possent, eiusque scripta unicuique regi legenda esse dicit. Itaque sibi ipsi semper a pueritia ante oculos fuisse viros fortissimos et bellicosissimos

[1] Dio von Prusa p. 416.

[2] p. 400 ss. Qua cum opinione consentit Hirzelius: Der Dialog II. p. 80.

Iliadis, quos vincere conaretur; ne Achillem quidem insuperabilem esse. — Homeri autem carmina non modo ad vitam bonam et gloriam belli incitare, sed etiam laetitia et delectatione afficere censet, cum versus Sapphus et Anacreontis vires optimi cuiusque debilitent atque effeminent. Bellicosum porro animum inesse operibus illius, quae omnibus temporibus canenda sint viris, sive epulentur, sive otium agant, sive animos deorum precibus movere studeant, sive milites in aciem ducant, ut decertent cum hostibus. Optimum igitur sapientiae praeceptorem esse Homerum, qui principes omni luxuria contempta vestimentisque splendidis depositis mensa sobria uti debere doceat. Quin etiam ab illo disci posse, qua ratione rex civibus uti debeat, vel ut ex eo, quod Agamemnonem, ducem Graecorum, cum tauro comparaverit. Poetam enim reges adhortari voluisse, ne magistratu fungerentur leonis modo, qui viribus fretus ad latrocinia facile commoveretur, sed ut suis praeessent similes tauri, qui vi abhorrens gregem defenderet et summa pericula subiret, ut quies et otium orerentur.

Si quis autem illud orationis II argumentum perspexerit, Dionem Alexandrum eximiae potentiae et fortitudinis eximiaeque iustitiae et probitatis regem putavisse concedet et sententiae adstipulabitur Arnimii, qui cum omnibus locis bellicosus quidam scriptoris animus esset, orationem in castris habitam esse censet ad Traianum anno 105 p. Chr. n. bellum Dacis inferentem. Qua cum ratione optime congruit, quod imperator ipse Macedonum regem admirabatur atque imitabatur [1].

[1] cf. Hirzel: II. p. 75 ss. W. Weber: Untersuch. z. Gesch. d. Kaisers Hadrian p. 7—9.

At Arnimius, ut supra dictum, quartae quoque orationis auditorem fuisse putat Traianum, cuius diem natalem anni 104 Dio philosophus hoc opusculo celebravisset. Quod si probavissemus, exiguum temporis spatium inter illas orationes interponendum esse diceremus; cui quidem sententiae Hirzelius assentitur. Nec minus Hoffmannus auctoritatem illorum sequitur, quamquam compluribus rebus animum suum offendi non negat. Orationum enim iudicia inter se repugnare intellegit (p. 78) et permulta orationis IV verba cynicarum epistularum memoriam afferre censet (p. 75 et 76). Neque tamen falsam ceterorum virorum doctorum opinionem delet, immo vero omni modo Dionem utramque orationem coram Traiano habuisse demonstrare conatur (p. 79). Sed si quis interiorem verborum sententiam perspexerit, ea, quae et Arnimius et Hirzelius attulerunt, recte non se habere concedet. Videamus igitur, utrum ad imperatorem Traianum haec oratio haberi potuerit necne.

Qua in oratione quamquam Dio Alexandrum denuo colloquentem facit, tamen in ea ipsa re pernimium interest inter orationes IV et II. Cum enim huius colloquii socius sit Philippus, qui verbis Alexandri vincitur et sententiis eius magna cum admiratione assentitur, illi dialogo adest Diogenes Sinopensis, qui regis pravitatem severissime vituperat. Quotiens autem Macedonum rex cum cynico philosopho compararetur, huic laudes attributas, illius gloriae obtrectatum esse scimus. Ratio igitur talem orationem ad imperatorem Traianum, quem regi favisse supra diximus, haberi

vetabat. Dio enim si de gloria Alexandri detraxisset, quod cynicorum ratio postulavisset, Traianum offendisset, si res a rege gestas laudavisset, id quod imperator, si adfuisset, exspectavisset, philosophiae praeceptis obtrectavisset.

Initio iam orationis scriptor, priusquam Diogenem loquentem faciat, Alexandri nimiam gloriae cupiditatem reprehendit atque id tanto quidem studio, ut Senecam acerbitate verborum paene aequiparet. Rex enim omnium terrarum omniumque hominum imperio potitus bestias et aves vincere in animo habuisse narratur. Homo autem tanto *βασιλικῷ τύφῳ* sublatus, ut visendi studium expleat, philosophum cynicum adit, quem quamvis mendici similis viveret, tamen beatiorem esse et maiore potentia uti audiverat quam reges potentissimos Graeciae et Macedoniae, qui vi et armis protegerentur. Itaque prooemii iam huius orationis verba philosophum, qui talia scribere conaretur, potentiam et dignitatem tyrannorum eodem quo Diogenem modo contempsisse et pro nihilo putavisse demonstrant, quod quidem coram Traiano die eius natali factam esse nequit.

Atque colloquium incipit. Sapientis autem animus minime commovetur nomine Alexandri, quem aspernatur ut alios philosophiae studiis non deditos[1]. Itaque cavillatione quadam usus eum salutat: *τό γε ὄνομα . . . . ἀκούω πολλῶν λεγόντων, ὥς κολοιῶν περιπετομένων, αὐτὸν δὲ οὐ γιγνώσκω· οὐ γάρ εἰμι ἔμπειρος αὐτοῦ τῆς διανοίας.* (17). Quae verba ignominiosa paene sunt

[1] In Diogenis epistula 33 eadem legimus.

laudanda prae iis, quibus Diogenes ex rege ipso quaerit: Esne ille, quem patri suppositum esse narrant? ita ut Alexandro rubor suffundatur. At potissimum id spectat, ut regem perturbatum multo maiore aspergat infamia eumque se honore a patre accepto indignum esse confiteri cogat. Ut enim pueri talos iaciunt, ita philosophus suo iudicio regis animum convertit aut avertit et vitia eius reprehendit.

Primum igitur illum, si deum se putari velit, nihil nisi *νόθον* esse demonstrat *ἀλεκτρυόνος* similem, quo facto nimium eius pugnandi studium eluditur. Alexander autem, qui sententiarum acerbitatem minime perspexerit, sibi honorem etiam attribui putat. Nam verba Diogenis, quae inurbana quaestione paulo ante facta animum eius tantopere offenderant, ut hominem tam agrestem et vaniloquum[1] adisse eum paenituisset, eodem fere tempore sapientissima et laudabilissima ei videntur esse[2]. Itaque cum maxima laetitia ex philosopho quaerit, utrum illam immortalis originis famam veram esse putet necne, quo facto totum se dat ei, qui nullam fere occasionem offendendi et vituperandi omittit. Respondet enim eius regis, qui re vera divino genere dignus haberi velit, esse officiis imperii tam diligenter fungi, ut civium laudibus usque ad caelum tollatur: vestimentis purpureis aut diademate minime opus esse, ornamenta pro nihilo putanda, quibus

[1] *ἀνὴρ σκαιὸς καὶ ἀλαζών.*

[2] *οὐ μόνον οὐ σκαιός, ἀλλὰ καὶ δεξιώτατος ἁπάντων καὶ μόνος εἰδὼς χαρίζεσθαι* (20). — Gravissimum autem est, quod Alexandri sententiae facillime mutantur, qua re et eximia regis stultitia et summa philosophi auctoritas demonstrantur.

ludibrii causa pueri ornentur[1]. Iis autem, quae Diogenes voluerat, non perspectis, stulte quaerit Alexander perturbatus, quis hanc rei publicae bene gerendae artem doceat. Atque philosophus iterum illudit: Iovis filium illius rei nescium non esse, cum ipse bonis regibus adnumerandus sit.

Deinde magni spatii sequitur digressus, qui de eruditionis generibus agit. Prava igitur hominum studia reprehenduntur, et, quomodo sophistae discipulos erudiant, acerrime vituperatur. Quin etiam Homeri exemplo utitur philosophus, ut Alexandrum ignominia afficiat. Dio enim, cum in oratione II regem poetae verba semper in animo habuisse narret, ut bonam vitam ageret, illic studium eius illudit his verbis (39): *ὁ δὲ Ἀλέξανδρος μέγιστον ἐφρόνει, ὅτι ἠπίστατο μὲν τὸ ἕτερον ποίημα ὅλον, τὴν Ἰλιάδα, πολλὰ δὲ καὶ τῆς Ὀδυσσείας,* qua quidem re orationes II et IV inter se discrepare optime docetur.

Vituperat autem Diogenes denuo principes, quorum animi vestimentis vel similibus rebus delectentur, et Dareum, Xerxem, multos alios imperio indignos fuisse censet. Praecipue autem verba paragraphorum 47 et 48 demonstrant, quantopere philosophus omnes despexerit reges, quorum bella ludis puerorum ad delectationem factis simillima essent, nisi quod liberi rerum commutationis memores aliquanto etiam superarent viros: ab his enim gloriam et honorem magni aestimari, illos iocandi tantum causa se personas agere non ignorare.

[1] Iterum rex cum liberis comparatur, qua maior non potest excogitari ignominia.

Quis igitur est, qui Dionem haec verba fecisse censeat apud Traianum, qui ipse fortitudine et scientia rei militaris summam rei publicae assecutus rebus a se bene gestis gloriabatur!

Sequentibus quoque simili modo ac prioribus paragraphis nimia Alexandri gloriae cupiditas vituperatur, quae regno omnium gentium non contenta Iovis etiam honoribus invideat[1]. At tamen regem in summis semper esse periculis, cum immineat hostis *ὁ πάντων . . . . . δυσμαχώτατος, οὐ περσίζων οὐ μηδίζων τῇ φωνῇ καθάπερ οἶμαι Δαρεῖος, ἀλλὰ μακεδονίζων τε καὶ ἑλληνίζων* (55). Statim autem rex, qui sibi in Graecia ortum esse inimicum ignotum putet, timore perterritus nomen illius quaerit ex Diogene, quo facto divinae originis eludendae denuo occasio data est: *Σὺ . . . . ἀγνοεῖς πάντων μάλιστα γιγνώσκειν οἰόμενος;* (56) respondet Diogenes et diu cunctatus interiorem aperit sensum, cum dicat: Inimicissimum ipsum sibi esse Alexandrum, qui sua stultitia impediatur, quominus animi pravitatem cognoscat et a studio falso abhorreat. Quae verba quamvis Traianum valde offensura fuissent, tamen acerbitate superantur proximis. Diogones enim postquam mores Alexandri, qui *δοῦλος τῆς δόξης* (60) appellatur, adhortationibus philosophorum nullo modo meliores fieri dixit, illum principis etiam nomine et honoribus indignum esse demonstrat et exemplo reginae apium praesidio armatorum carere posse exponit virum regii animi

[1] Scriptor consilio addit: *ὅθεν καὶ ἐκόλαζεν αὐτὸν ὁ Διογένης πάντα τρόπον* (51), quibus verbis denuo docetur, quanta poena digna sit illa pravitas.

regiaeque potentiae, cuius virtutibus omnium adversariorum insidiae deleantur: Alexandrum die et nocte armis cinctum se praebere ignavum ac servi loco putandum esse. Quibus contumeliis incensus rex ad telum tendit manus, ut Diogenem percutiat, qui tum nova reprehendendi causa usus iracundiam praecipue servilis animi esse dicit.

Consilio sane Dio acerbissimis verbis Diogenem commoventem facit iram regis, qui quamquam antea adhortationes patienter tulerat, tamen philosophi insolentia nimium aucta sui oblitus arma cepit (64). Quo facto vehementissima vituperatio usque ad finem orationis differtur. Recte enim Diogenes iracundum virum admonet, ut *διάδημα καταγέλαστον* abiciat et *ἐξωμίδα λαβών* melioribus hominibus serviat (66), praesertim cum rex malae indolis suis summo ludibrio sit. Quod optime more Persarum demonstratur, qui die quodam festo latronem capitis damnatum omnibus regiae potestatis honoribus onerent, paulo autem post verberent atque supplicio afficiant. Itaque philosophus Alexandrum iterum adhortatur, ut pro purpurea veste pellem induat Archelaum, principem generis sui, imitatus, qui greges pascens in Macedoniam venerit[1].

Si quis iam verba orationum IV et II comparaverit, Hirzelium, Arnimium, Hoffmannum, qui utramque eodem

---

[1] Reliquis orationis paragraphis de cupiditatibus agitur, quae hominum animos vexent et depravent, neque Diogenis aut Alexandri mentio fit. Sententiae igitur, quam attulit Arnimius (l. l. p. 412 s), adstipulor: aut finem orationis ex altero libro sumptum esse aut duas orationis formas fuisse, quae sive casu sive consilio coniunctae essent.

fere anno habitam esse censuerunt, erravisse concedet. Nec satis: compluribus etiam aliis de causis, ut illis viris doctis repugnemus, commovemur. Quae quidem hae sunt:

Arnimius recte dicit Dionem Traiani castris relictis (105) sophistarum modo permigravisse oppida imperii, quae litterarum studiis favebant. Idem autem vir doctus sapientem illis temporibus orationes I—IV, quae compluribus iam annis ante ad multos homines habitae essent, saepissime retractavisse scribit[1]. At huic opinioni repugnant orationis IV quaedam verba, quae Arnimius neglexisse videtur. Legimus enim in paragrapho 14, qua cynicorum ratio laudatur: *οὐδὲ γὰρ μαθητάς τινας, οὐδὲ τοιοῦτον ὄχλον περὶ αὐτὸν εἶχεν (Διογένης), ὥσπερ οἱ σοφισταὶ καὶ αὐληταὶ καὶ οἱ διδάσκαλοι τῶν χορῶν.* Sane autem Dio tam acerbe iudicare non potuit eo tempore, quo ipse consuetudinem sophistarum imitabatur, id quod re vera in fine vitae ab eo factum est. Quin etiam compluribus aliis eiusdem orationis locis (28; 35—37) illum sophistarum ordinem non solum non laudavisse, sed potius contempsisse cognoscemus. Quorum praecepta regibus commodo non esse censet, quia *ἐκείνων μὲν οἱ πολλοὶ οὐχ ὅπως βασιλεύειν ἀλλ' οὐδὲ ζῆν* perspexerint (28). Immo vero sophistas similes esse spadonibus (35—37), quorum opera eodem modo atque illorum studia hominibus perniciosa essent. Maxima autem opprobria Dio congerit in fine huius disputationis,

[1] p. 406: *„Sicherlich hat Dio eine Rede wie diese dem Kaiser nicht unter vier Augen vorgetragen, sondern in Gegenwart einer großen Versammlung."*

ubi sophistas scribit esse *πλανωμένους ἐν τοῖς λόγοις πολὺ κάκιον ἢ τὸν Ὀδυσσέα φησὶν Ὅμηρος ἐν τῇ θαλάττῃ καὶ πρότερον εἰς Ἅιδου ἂν ἀφίκοιτο ὥσπερ ἐκεῖνος ἢ γένοιτο ἀνὴρ ἀγαθὸς λέγων τε καὶ ἀκούων* (37).

Sed oritur quaestio, quo tempore Dionem tam inique de sophistis iudicavisse putandus sit. Illum enim priusquam imperatoris Domitiani iussu urbe cedere coactus esset, in iisdem atque illos studiis versatum esse et ad populum verba fecisse scimus. Cum autem exsilio quattuordecim annorum peracto Prusam, ubi natus erat, revertisset, studia philosophiae neglegebat et rei publicae gerendae sese dabat atque id tanta quidem industria, ut ab imperatore Traiano summis cum honoribus Romam revocaretur, ubi iisdem, quas ante exsilium egerat, rebus operam dabat. Itaque illis aetatis temporibus Dio verba, quibus sophistarum pravitatem vituperabat, scribere non potuit, nisi forte ipse sibi nocere voluisset. At nihil impedit, quominus philosophum fortuna adversa, quam iniuria sibi accidisse putabat, animum avocasse censeamus a studiis, quibus usque ad id tempus delectabatur. Nam cum exsilio multatus esset, pauper et miser oppida imperii Romani permigrabat cynicorum habitum imitatus, ut mortalium animos contemptione impleret humanarum rerum et ad eam vitae rationem commoveret, quam ipse sequebatur. Quis autem dubitat, quin illo tempore iudicia tantae acerbitatis dicta sint? Quae quidem sententia adiuvatur iis, quae philosophus Diogenem colloquentem facit in oratione IV (29 ss): eum, qui litteris studeret, minime eruditum esse[1].

[1] Quibuscum verbis congruunt ea, quae alia Dionis oratione (XIII 17) habita in exsilio demonstrantur.

Dionem igitur consensisse cognoscimus cum cynicorum dogmate, quippe quo litterarum studium virtuti excolendae non modo non commodo, sed etiam detrimento esse doceretur. Qua in re iterum orationes IV et II inter se contrariae sunt, quarum haec optimum quemque virum admonet, ut litteris operam daret (15; 18—26; 79). Sed potissimum duobus alterius orationis locis[1] scriptam legimus vocem *τῦφος*, qua cynici philosophi uti solebant.

Nonnullas denique alias res addam, quibus coniectura mea adiuvatur atque confirmatur. Dio enim eum solum, qui omni libidine careat et fortissimum, iustissimum, humanissimum virum sese praestiterit, bonis regibus adnumerandum esse scribit (24), quibus verbis Traianum significari Arnimius censet. Sed contra hanc opinionem pugnant ea, quae proxima paragrapho legimus. Nam cum illic boni regis mores describantur, hic pernicies exponitur, quae est malo quodam homine regnante. Itaque paragraphi 25 verbis Domitiani mala indoles vituperari pro certo habeo, id quod multo probabilius est, cum orator, quotiens in contraria abit, ea, quae demonstrare vel confutare in animo habet, posteriore afferat loco. Nec non alius loci (44) verba idem spectare cognoscimus, quibus docemur, quantopere *βασιλεία καὶ τυραννίς* differant, quarum haec similis sit *μαγείρῳ,* qui *τὰ πρόβατα* caedat, illa *ποιμένι,* qui gregem a periculis defendat. Optime autem sane Domitianus cum coquo comparatur, qui *εἰς πολλὰ πρόβατα ἐλαύνει, ὥστε κατακόπτειν καὶ σφάττειν καὶ δέρειν.* Quin etiam

[1] 7: *ἐν βασιλικῷ τύφῳ.* 72: *ἂν ἀπαλλαγῇς τοῦ τύφου.*

Dio hac oratione Diogenis et Alexandri colloquio simulato iis, qui verba audiebant, demonstravisse videtur, quanta vitia essent imperatori illius ipsius temporis. Quae adiuvatur opinio iis potissimum locis, quibus legimus: bonam animi indolem non vestimenta purpurea aut diadema eius regis esse, qui munere suo recte fungatur. Illum enim, cum Iovis filius sit, omni modo suorum augere salutem, eos, qui bonis rationibus careant, tyrannos putandos esse sibi ipsis infestissimos, qui vi armorum ignavissime tegantur. Si quis iam orationem IV exsilii temporibus habitam esse concesserit, ei verba imprimis paragraphorum 62—64 haud levia esse videbuntur. Dio enim ipse propter contumelias, quas imperator Domitianus ei attulisse unusquisque perspexerat, supplicio destinatus esse videbatur, quod malum non modo aequo animo ferebat omnibus, quae vitam exornent, rebus contemptis, sed etiam consilio sibi paraverat. Diogenis autem persona utitur sapiens, propterea quod illo tempore mores et doctrinam eius quacumque ratione ipse imitabatur.

Atque maioris ponderis est perspicere, quae Dio de divina regis origine iudicaverit. In oratione enim IV illa Alexandri pravitas vehementissime vituperatur, in oratione II huius vitii mentio non fit, id quod utramque eodem fere anno habitam esse vetat. Qua in re enucleanda denuo adiuvor verbis Hirzeli, qui sententiae meae invitus adstipulatur scribens (l. l. p. 80 et 81): *„Trajan lehnte von seiner Person jeden vergötternden Kultus ab, ... eine Darstellung also, welche dasselbe von Alexander behauptete, mußte ihm*

genehm sein, einmal weil sie einen Flecken aus dem Bilde seines Ideals entfernte, und sodann weil sie die Ähnlichkeit zwischen ihm und dem Makedonenkönig noch um einen Zug vermehrte.“ Quod oratione IV nullo modo factum est. Ea enim ratione, qua Diogenes Alexandrum irrideat, similitudo eius et Traiani non augetur, immo vero imperatorem etiam prius se immortalem esse ratum a philosopho quodam ad meliorem vivendi rationem commotum esse quis est, quin suspicetur! Itaque re vera Alexandri stultitia amplificatur. At Dionem subtili iudicio de regis immortalitate scripsisse is, qui orationem II legerit, non negabit.

Si quis denique ea, quae orationes II et IV continent, cum priorum philosophorum sententiis comparaverit, alterius orationis iudicia Senecae verbis similia esse non negabit. Gloriae enim cupiditas et iracundia Alexandri vehementissime vituperantur et ei opprobrio datur, quod se Iovis filium putari iussisset. Praeterea autem de epistulis admonemur Diogenis nomine traditis, quas id egisse cognovimus, ut principes ad meliorem vitae rationem commoverent, cui rei epistula 40 imprimis est argumento. Quarum vestigiis Dio insistit; atque hoc Domitiani temporibus fieri potuisse aio, Traiano imperante nego, qui sapientiae magistris omni modo faveret.

At huic sententiae unus orationis quartae locus repugnat (3), quo legimus: *τυγχάνομεν σχολὴν ἄγοντες ἀπὸ τῶν ἄλλων πραγμάτων,* quibus verbis usus Traianum familiariter usum esse Dione demonstrat Arnimius

(p. 400), cum πράγματα putanda essent negotia publica. Sane quidem ita loqui minime decebat philosophum cynici ordinis, qui omnibus rei publicae curis absolutus semper disputationibus se det. Sed subest auxilium; nam finem huius orationis perturbatum esse et dialogos a viro quodam docto inferioris aetatis compositos esse Arnimius scripsit. Itaque illum virum doctum, qui omnia a Dione litterate dicta memoriae traderet, paragraphos 1—3 ex oratione quadam fortasse ad Traianum habita sumpsisse et orationi IV addidisse persuasum mihi est, praesertim cum ea, quae in illis paragraphis (1—3) leguntur, nullo modo ad ea, quae sequuntur, capita pertineant. Cum autem res dissociabiles saepe coniunctas esse Arnimius demonstraverit (cf. orat. LXII), nulla ratio impedit, quominus hoc quoque loco idem factum esse censeamus. Itaque quomodo falsum huius orationis nomen ortum sit, perspicimus. Ille enim vir doctus alterius orationis prooemio praemisso titulum eius libri, cuius prima transposuerat verba, toti operi dedit, quod quamquam de tyrannide agit, tamen inscriptum est περὶ βασιλείας.

Quibus igitur de causis pernimium inter orationes II et IV interesse constat, id quod temporum varietate fortunaeque vicissitudinibus ortum est: Dio orationem IV, cum rationem cynicorum imitaretur [1] (annis 82—96) scripsit [2], orationem IV (decem fere

---

[1] i. e. eodem tempore, quo reliquas Diogenis nomine traditas orationes scriptas esse Arnimius ipse docuit.

[2] Quam sententiam Hirzelius quoque, quamvis orationem IV a Dione s e n e scriptam esse putet, invitus adiuvare videtur scribens (Der Dialog II. 80): *Etwas anders stellt diese* (die

annis peractis) in castris ad Traianum habuit (a. 105 p. Chr. n.)[1].

göttliche) *Seite in Alexanders Wesen Dion dar, wie das seinem eigentümlichen Standpunkt entsprach, also nicht so unbedingt anerkennend. Hiernach ist es zwar ebenfalls nicht Alexander, der das Gerede von dessen göttlicher Abkunft in Umlauf gesetzt hat, sondern dessen Mutter Olympias; aber Alexander scheint doch nicht abgeneigt, ihr Glauben zu schenken und empfängt deshalb von Diogenes e i n e d e r b e Z u r ü c k w e i s u n g, daß man als Zeus' Sohn sich nur durch seine Thaten bewähren könne . . . . . Die Absicht Dions war aber hierbei nicht sowohl, Alexander herabzusetzen, als vielmehr, das Verdienst an dessen auch von ihm zugestandener Tugend der Bescheidenheit dem belehrenden Umgang mit dem Kyniker Diogenes zu vindiciren."* Praecipue autem extremis Hirzeli verbis adstipulor: Dionem philosophi auctoritatem prae gloria Alexandri amplificare voluisse. Qua re concessa controversia me quidem iudice sublata est, cum haec verba ad Traianum facere summae stultitiae fuisset.

[1] Restat iam, ut de tribus Dionis orationibus in exsilio habitis *περὶ τύχης* (LXIII—LXV) agam, quarum altera pluribus verbis (LXIV, 19 s) Alexandri mores describit. Arnimius recte illas et compluribus aliis de causis et propter corruptum scribendi genus non esse censet philosophi (p. 158 ss). Nam is, qui eas scripsit orationes, nonnullis tantum priorum sapientium argumentis usus demonstrat, quantopere Alexander quoque in rebus gerendis fortuna adiutus sit. Fortasse autem de oratione IV admonemur eo, quod iterum vituperatur Alexander, qui se divinis honoribus coli iusisset (20), quamquam propter vulnera in proeliis accepta humanam originem neglegere non debuit. Quin etiam, ut pravitas regis demonstretur, leguntur (21), quae iam antea Anaxarchus, Seneca, Curtius narraverant: Alexandrum sagitta ictum se hominem esse concessisse. Atque regem moribundum humanam imbecillitatem confessum esse scriptor censet, cum se permultis rebus domi bellique clarissime gestis fatum effugere non posse cognovisset, et id non in pugna vulneratus, sed morbo affectus, quod quidem summa gravitate additur (24). At optime auctoris odium et invidia praecedentis paragraphi verbis demonstratur. Olympiadi enim Macedones afferunt nepotem inhumatum, filium regis: *καὶ πενθήσασα αὐτὸν καὶ αὐτὴ ἐτελεύτησεν*

Dionis sane iudicia inter se discrepantia, quantopere imperatorum Romanorum auctoritate sapientis voluntates commutatae sint, optime demonstrant. Erat autem eo tempore philosophus, qui Philippi filium tot et tantis ignominiis, quibus sapientes omnium fere temporum sive iure sive iniuria eum affecerant, liberaturus uno tantum libro vastam materiam exhaurire nollet. Immo vero totius fere vitae studiis opus erat, ut crimina ab inimicis allata redarguerentur. Atque is, qui tantum subiret negotium, ei disciplinae favere debebat, quae a re publica et regum maiestate non modo non abhorrebat, sed etiam unius dominationem omnibus civitatibus utilissimam esse putabat. Cuius rationis philosophicae memores fuisse constat academicos, quibus adnumerandus est Plutarchus Chaeronensis, quem Macedonum regem gloriosissime defendisse cognoscemus. Dubium quidem non est, quin Alexandrum principem summae virtutis maximique ingenii fuisse persuasum esset Plutarcho, qui patriae amantissimus Graeca natione virum laudare in animo habebat. Sed potissimum optima conditione rei publicae, quae imperatoribus Nerva et Traiano florere coeperat, Plutarchum commotum esse pro certo habeo, ut maiore cum studio defenderet regem, quem imperator potentissimus admirabatur et imitabatur.

Priusquam autem Plutarchi iudicia exponam, pauca mihi dicere liceat de opinione Hoffmanni, qui scriptorem

ἡ μήτηρ τοῦ θεοῦ. — Praeterea autem varie rex illuditur. Nam duobus locis vinolentia eius commemoratur (19 et 20) et multis verbis de iracundia agitur; unde facinora orta essent foedissima et gravissima, Cliti, Philotae, Parmenionis necem (20).

speciem tantum laudationis praebuisse, re vera id spectavisse scribit[1], ut rhetoris gloriam quam maximam sibi pareret. Itaque ea, quae in libris „de Alexandri fortuna“ scripta sint, nullius ponderis esse censet. Sed equidem Hoffmannum erravisse puto. Si quis enim verba unius illius operis perspexerit, paululum fortasse viro docto assentietur. At reliqua quoque scripta philosophica mentionem faciunt Alexandri nec minores quidem laudes in regem effunduntur. Quae cum Hoffmannus consilio (p. 87) neglexerit, falsa illa eius opinio orta est. Atque huius sane operis sententiae ceterorum librorum verbis adiuvantur et amplificantur, cuius rei exemplum addam hoc: Hoffmannus enim vituperat (p. 87 adn. 2), quod in libro „de Alex. fort.“ narratum non sit, utrum Alexander Romanos victurus fuerit necne, si manus conseruissent. Sed in libro „de fort. Roman.“ (326a) illa quaestio largius instituitur, ubi certe melior occasio huius rei commemorandae data erat.

Complures autem viri docti re vera orationes „d. A. f.“ philosophicis scriptis adnumeraverunt. Nachstädt enim[2] ea, quae illi libri contineant, congruere demonstrat cum decretis philosophiae, quas Plutarchus secutus sit, et Hirzelius eos compositos esse putat[3], ut priorum sapientium iudicia refellerentur. Itaque cum

---

[1] p. 87 ss, impr. p. 93.

[2] De Plutarchi declamationibus quae sunt de Alexandri fortuna. Berlin 1895.

[3] Der Dialog II. p. 78. *„Jede Spur eines Gegensatzes zwischen Alexander und der Philosophie soll verschwinden.“*

rei satisfecisse Hoffmannum non putem, philosophi sententias denuo exponere constitui.

Permultis sane Plutarchi operibus Macedonum rex sive paucis sive pluribus verbis commemoratur, atque id eadem laude eademque admiratione, quod quidem haud levis est ponderis. Nam sapiens non unius tantum scriptoris auctoritatem sequebatur, sed complurium operibus studebat, quae hic illic adhibebat. Sed illa res ad eius de Alexandro iudicia minime pertinuit; ipse enim regem admirabatur et res ab eo gestas permagni aestimabat.

Identidem autem ab eo Alexander defenditur et opprobria, quibus omnium aetatum philosophi eum affecerant, refelluntur. Atque bellica haec Plutarchi ratio optime cognoscitur ex eo opusculo, quo ille priorum sapientium consuetudinem secutus perscrutatur, utrum rex tot bella virtute bene gesserit an fortuna omni tempore ei faverit. Ergo de illa potissimum oratione nobis erit agendum.

Quemnam autem scriptorem libello suo refellere in animo habuerit; unum constat omnibus eum fere locis Macedonum regem ab ignominiis cynicorum et stoicorum texisse, quas permultas esse cognovimus. Hoffmanni igitur sententiae obloquor, qui p. 92 scribit: „*Von einer offenen Polemik gegen Stoa und Cynismus ist nirgends etwas zu bemerken.*“ Identidem enim de illarum scholarum admonemur iudiciis.

Ac primum quidem Zenonis discipulos multo graviores adversarios fuisse nemo negabit, cum re vera spurca cynicorum verba nullius hominis animum laederent.

Qua de causa Plutarchus Alexandrum ab exprobratione *παιδεραστείας* non defendit, quam ab illis regi vitio datam esse Diogenis epist. 24 docuerat. Uno quidem loco philosophus regem tam pravo animo non fuisse demonstrat, qui cum satrapes quidam se puerum eximiae pulchritudinis missurum esse nuntiavisset, severissimis verbis rescripsisset[1]. Sed ad cynicos haec narratio non pertinet, qui regem amavisse scripserant Hephaestionem, cuius nulla mentio fit. Hoc autem ipso loco Plutarchus si cynicis repugnare voluisset, animos legentium vehementer commovere potuit, ut Alexandrum laudarent. Nam in eodem capite Socratem Alcibiadis amore arsisse narrat, quocum ut regis integritatem morum quam maxime probaret, Alexandri et Hephaestionis comparare illi licuit amicitiam, quam omni libidine vacavisse putabat. Atque Plutarchus de ea re recte iudicare videtur, praesertim cum alio loco (337a) a rege vituperatum etiam esse narret familiarissimum, qui cum Cratero de principatu contendisset. Quibus de causis philosophum *παιδεραστείας* opprobrium, quo cynici a Zenonis discipulis dissentientes Alexandrum affecerant, mentione dignum non putavisse censeo. Multo autem difficilius erat Macedonum regem defendere ab iis, quae cynici et stoici consentientes scripserant, qua in re summa vi verborum opus erat.

Stoici iam liberalitatem Alexandri maiorem fuisse exposuerant, quam ut civibus utilitati esset (cf.

[1] de Alex. fort. aut virt. 333a: *ὦ κάκιστ' ἀνθρώπων, τί μοι πώποτε τοιοῦτο συνέγνως, ἵνα τδιαύταις μὲ κολακεύσῃς ἡδοναῖς;*

p. 13 et 28). At huic opprobrio Plutarchus severissime repugnat. Regem enim eo consilio a fortuna accepisse putat opes, ut quam plurimos homines afficeret beneficiis. Itaque Alexander, quod Phocioni et Xenocrati centena talenta misisset, laudatur (333b), qua in re gravissimum est, quomodo gloria illius augeatur. Nam Xenocrates pecuniam non accipit, sed minime obtrectari Plutarchus putat beneficio regis, qui ipse quoque philosophi nomine dignus sit, cum tantam vim auri contempserit. Quae narratio eorum philosophorum iudicia refutat, qui ob pecuniam repudiatam Xenocratem laudaverant, vituperaverant Alexandrum, cuius rei testis erat Cicero (Tusc. V 32, 91). — Compluribus quoque aliis locis Plutarchus Alexandri liberalitatem laudat. Oppidi enim cuiusdam Persici feminas vetere consuetudine propter bene de re publica merita, quotiens rex forum ingressus esset, magna pecuniae munera accepisse narrat (de mulier. virt. 246b). Multos iam reges avaritia commotos illud officium detrectavisse, Alexandrum bis introisse, quo maiora dona dare posset. Atque templis reficiendis vel aedificandis opes Asiae in Graeciam ab eo missas et amicorum aes alienum iussu eius solutum esse (343d). Quin etiam Dareum interfectum illius sumptu regiis honoribus sepultum esse (343b). Identidem igitur regem defendi constat.

Complures autem prioris aetatis philosophi Alexandri gloriae cupiditatem vituperaverant et bella ab illo gesta nihil nisi rapinas et latrocinia fuisse censuerant (cf. p. 11 et 30). Plutarchus quidem Philippi filium honoris et laudis paulo studiosiorem

fuisse concedit, id quod optime cognoscimus eo loco, quo Alexander id spectavisse narratur (de fort. Roman. 326b), ut Romanis in Italiam bellum inferret. Ibi enim legimus: *ὁ δ᾽ ἄγων αὐτὸν ὡς ἀληθῶς ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους δόξης ἔρως καὶ ἡγεμονίας ζῆλον.* At tamen Plutarchi opinio ab illorum philosophorum sententiis eo differt, quod praeter gloriae cupiditatem multis aliis rationibus Alexandrum commotum esse docet, quae maioris ponderis quam illud studium fuissent. Atque gravissimum virtutis argumentum esse censet, quod a pueritia Graecorum cultum, sermonem, doctrinam homines barbaros et a litteris alienos docere voluisset, ut omnibus orbis terrarum gentibus consociatis unum regnum oreretur concordia et pace omnes populos iuncturum (330d, 332b, 342a). Qua in re perficienda clementia opus esse[1], ut hostes redderentur amici fidelissimi, Alexandrum perspexisse tum, cum Macedonum et Persarum sapienter misceret vestimenta. Plutarchus igitur id, quod priores sapientes severissime vituperaverant, et regi ipsi et regno utilissimum fuisse putat. Eadem autem de causa recte regem defendit scribens: *οὐ γὰρ ληστρικῶς τὴν Ἀσίαν καταδραμὼν οὐδ᾽ ὥσπερ ἅρπαγμα καὶ λάφυρον εὐτυχίας ἀνελπίστου σπαράξαι καὶ ἀνασύρασθαι διανοηθείς* (330d). Quibus narratis repugnatur philosophis, praecipue Senecae et cynicis, qui illam regis pravitatem in Diog. epist. 40 illuserant.

---

[1] 337 b: *ἐν οἷς κρατεῖς τὴν πραότητα. — ποίησον ἄλλον εἰ δύνασαι μέγαν . . . τοὺς αἰχμαλώτους μὴ ἐλεοῦντα . . . τοῖς κατορθώμασι μὴ φιλάνθρωπον.*

Quin etiam rex a Plutarcho laudatur, quod se Herculem et Liberum imitari gloriatus esset. Philosophorum enim animos illa insolentia vehementissime offenderat, quorum Seneca potissimum Alexandrum Herculis similem non fuisse demonstraverat, cum orbis terrarum ab hoc pacatus, ab illo vastatus esset. Cui opinioni Plutarchus obloquitur et fortunam regi eodem quo Herculi modo infestam fuisse docet (326f—327b). Praeterea autem huius opera gravia non fuisse, cui fortuna dedisset, ut bestias aut necaret aut fugaret, *τὸ Ἀλεξάνδρου ἆθλον* a virtute positum *βασιλικὸν καὶ θεῖον* habendum esse: *πάντας ἀνθρώπους μιᾶς ὑπηκόους ἡγεμονίας καὶ μιᾶς ἐθάδας διαίτης καταστῆσαι* (342a). Ea igitur ratione illum recte fecisse Plutarchus putat, quod Iovis filium ducem gloriae sibi proposuisset[1], quin etiam superare voluisset[2], atque Megarae incolas laudat, qui Alexandrum, ut civitatem acciperet, commovissent eo, quod praeter Herculem neminem huius honoris participem fuisse dixissent. At summa Plutarchus utitur sollertia eo loco, quo verba ab Alexandro ad Diogenem facta rectius quam priores philosophi interpretari conatur (332b). Alexandrum enim si dixerit: *εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἤμην, Διογένης ἂν ἤμην* minime quidem demonstrare voluisse se philosophiam parvi aestimare, sed se gravioribus imperii officiis impediri docuisse, quominus illis rebus sese daret. Qua in re narranda

[1] de se ips. citr. invid. laud. 542d: *Ἡρακλέα τιμῶν.* d. A. f. 332b: *Ἡρακλέα μιμοῦμαι.*

[2] de fort. Roman. 326b: *ἅμιλλαν ὑπερβαλέσθαι τὰ Διονύσου καὶ Ἡρακλέους πέρατα τῆς στρατηλασίας.*

Plutarchus Alexandrum gloriantem etiam facit, quod Herculem ipsum imitetur, quem praeter alios deos cynici venerabantur: *Νῦν δὲ σύγγνωθι, Διόγενες, Ἡρακλέα μιμοῦμαι καὶ Περσέα ζηλῶ καὶ τὰ Διονύσου μετιὼν ἴχνη, θεοῦ γενάρχου καὶ προπάτορος, βούλομαι πάλιν ἐν Ἰνδίᾳ νικῶντας Ἕλληνας ἐγχορεῦσαι καὶ τοὺς ὑπὲρ Καύκασον ὀρείους καὶ ἀγρίους τῶν βακχικῶν ἀναμνῆσαι κώμων* (332b). Res igitur ab Alexandro gestas non modo iis, quae Hercules et Liber fecissent, pares fuisse Plutarchus censet, sed etiam rex Persei gloriae invidisse docet. Praeterea autem philosophus, cum omnes priorum temporum uno consensu scriptores sapientem superiorem fuisse Alexandro narraverint, re vera regem solum aliquid magni atque utile in animo habuisse, Diogenem doctrinae tantum se dedisse demonstrat.

At gravissima erat refutatio opprobrii illius de rege honoribus divinis colendo atque culto ab adversariis identidem prolato. Cuius studii non Alexandrum ipsum, sed amicos, rerum scriptores, poetas, quos secum haberet, auctores fuisse philosophus censet. Quamquam enim Alexander, ut se immortalium deorum modo venerarentur Macedones, postulavisse nusquam a Plutarcho narratur, tamen eum divinos honores accepisse compluribus eiusdem scriptoris locis legimus. Atque verba Anaxarchi Clito necato ad regem facta commemorata sunt et ea, quae Agis medicus responderat, paulo post narrabuntur. Maiore autem vituperatione Plutarchus alius libri loco (quom. adul. 65d) afficit adulatores, a quibus Alexandrum *ὥσπερ ἄγαλμα βαρβαρικόν* adoratum esse dicit. At tamen Alexandri

animum ab honoribus divinis abhorruisse, quod saepe ipsum docuisse, quia res venereae eaque, quae ad vivendum necessaria, de origine humana se admonuissent[1]. Quin etiam amicos stultitiae coargutos esse a rege (341b), qui in pugna vulneratus eos docuisset: *τουτὶ μὲν αἷμα οὐκ ἰχώρ, οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν.* Quibus verbis consilio philosophus rescribit Senecae (epist. 59, 12), Curtio (VIII 10, 27 ss), qui iisdem narratis regem gravi vulnere commotum se hominem esse concessisse demonstraverant.

Iis igitur locis, quos modo commemoravi, Plutarchum adversariorum iudicia refellisse apparet, propterea quod verba illorum ipsa ab eo redarguta nobis sunt tradita. Quae quamquam saepe desiderantur, tamen sapientem Alexandrum defendisse in reliquis quoque locis facile perspiciemus.

Atque res ab Alexandro gestas bene evenisse censet eo, quod rex tanta virtute, fortitudine, industria egisset, ut praesidio fortunae minime opus esset, cuius rei argumenta affert multa. Complures enim reges cum Alexandro comparat, qui casu quodam rerum potiti essent, Charillum et Aridaeum (337 d), Dareum et Oarsem (340 b et c): Alexandrum quoque quidem casu in purpura natum esse concedit, sed semper ad salutem hominum usum esse docet[2] opibus fortunae, quae regii honoris indignissimis saepe *ἔλεγχος τῆς ἀσθενείας καὶ μικρότητος* fuissent (336 a). Alexandrum vero Macedoniae vel Graeciae parvis tantum copiis fretum omnes orientis

---

[1] quom. adul. 65f; vita c. 22.

[2] 337 d: *ἐν τῇ χρήσει — ἐν τῇ κτήσει.*

gentes sibi subiecisse; qua in re fortunam eisaepissime nocere conatam esse. Philippo enim mortuo ea auctore in patria Alexandri ipsa omnia armis tumultuque mixta esse; Triballos, Illyrios, Scythas Macedoniae imminuisse et Athenienses Thebanosque ad spem libertatis recuperandae incitatos esse (342c et d). Identidem autem fortunam regi obstitisse in Asia pugnanti (326f—327b), ubi permulta vulnera ille manu fortis accepisset, quae facile evitasset, si fortuna eum paululum fovisset. Illam vero hostium tela rexisse (341d et e), ut percuterent Alexandri corpus, quin etiam regem saepissime morte afficere conatam esse, atque id neque in Susis vel Babylone expugnandis neque in proelio cum Poro committendo, quod certe summo ei honori fuisset, sed in castello quodam obsidendo, cuius ne nomen quidem memoriae traditum esset (344a et b). At fortunam pertaesum esse huius Alexandri odii (336a—f), quo vivo clarissima et invicta fuisset, quo mortuo instar cyclopis lumine orbati terras pererrasset. Si quid autem commodi regno Alexandri deleto ortum esset, Romanos illius participes fuisse, quos rex victurus fuerit, nisi mors eum impedivisset (de fort. Roman. 326a). Fortunam denique Alexandrum fovisse Plutarchus propter id ipsum negat, quod non tam manu omnes superavisset, sed clementia et iustitia, constantia et fortitudine (339a et b). Illas enim virtutes sane ei gloriam paravisse et hostium etiam animos conciliavisse, id quod verba Darei docuissent, qui cum uxorem in castris Macedonum mortuam ab Alexandro regio honore sepultam esse comperisset, deos oravisset atque obsecravisset, ut si

sibi ipsi potestatem detrahere constituissent, totum Persarum imperium Alexandro deferrent, qui ea potentia dignissimus esset: *τοῦτ' εἰσποίησις ἦν Ἀλεξάνδρου διὰ θεῶν μαρτύρων* (338e et f).

Praeterea autem philosophi Macedonum regem vinolentiae deditum fuisse narraverant (cf. p. 53), cui sententiae Plutarchus etiam adstipulatur. Uno quidem loco (338d) illi obloquitur opinioni et ebriositatem regis infitiari videtur, quo scribit: *ἔπινε δὲ θύσας τοῖς θεοῖς.* Sed identidem verba invenimus, quae perspici non potuerunt, nisi Alexandrum vinolentum fuisse scriptor ipse putavisset, cuius rei pauca addam exempla. 339f legimus: *οὐκ ἐν οἴνῳ ποτὲ τὴν ὑπόνοιαν ταύτην ἐξέφηνεν ὁ μεθύων.* Idem autem vitium non negari verbis docemur Callisthenis, qui cum *ἡ μεγάλη κύλιξ* circumportaretur, respondisse dicitur (de coh. ira 454e): *οὐ βούλομαι πιὼν Ἀλεξάνδρου Ἀσκληπιοῦ δεῖσθαι*[1]. At philosophus quamquam opprobrium non iniustum fuisse concedit, tamen paululum sophistarum rationem imitatus argumenta adversariorum refutat scribens (337f): *ὁ δ' ἦν μέγας, ἐν τοῖς πράγμασι νήφων καὶ μὴ μεθυσθεὶς μηδὲ βακχευθεὶς ὑπ' ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, ἧς μικρὸν ἕτεροι μεταλαβόντες καὶ ἀπογευσάμενοι κρατεῖν ἑαυτῶν οὐ δύνανται.*

Plutarchus quidem quamquam hoc Alexandri vitium tegere conatus erat, tamen ipsam rem turpissimam tollere non erat ausus. At eo magis obsistit

[1] Alexandrum *ἐπὶ δεῖπνον ἀγῶνα καὶ στέφανον ἀκρατοποσίας* posuisse multosque homines ignominiosa morte affecisse in „vita“ quoque regis à Plutarcho composita legimus (c. 70).

stoicis, qui regem nimia animi perturbatione commotum esse et sui ipsius tam impotentem fuisse censuerant (p. 14 et 34 s), ut facinora committeret, quorum paulo post eum puderet. Denuo enim Plutarchus iis culpam attribuendam esse dicit, qui regis animum adulationibus perdiderint; Alexandri sane ipsius naturam huius vitii participem non fuisse. Atque consilio philosophus mihi videtur narravisse[1] regem nuntium, qui summa cum laetitia accurrisset, loqui vetuisse et tranquille ex eo quaesivisse: *τί μοι μέλλεις . . . . . , ἀπαγγελεῖν; ἢ ὅτι Ὅμηρος ἀναβεβίωκεν;* Qua ratione aequus illius animus demonstratur. Iisdem autem stoicis obloquens Alexandrum, quamquam amici saepe prave egissent, tamen non modo non indulsisse, sed etiam vitia eorum excusavisse summa cum laude scriptor narrat: Tarriae enim convicto fraudis rex ignoscit et Antigeni, qui amore feminae cuiusdam commotus morbo simulato exercitum relinquere conatur, se illi persuasurum esse, ut in castris remaneat, pollicetur[2]. Superbissima quoque illa, quae Philotas libidine captus Antigonae narraverat (339f), regis animum tranquillum adeo non perturbant, ut Hephaestionem etiam familiarissimum ea, quae audiverat, celet, ne illis prolatis Philotam supplicio afficere cogatur. Optime autem integritatem regis apparuisse censet eo tempore, quo de Dareo a Besso necato nuntius allatus esset (332f). Tum enim illum neque victoria gloriatum esse neque dis sacrificavisse, sed tacitum et magno dolore commotum

---

[1] quom. quis suos in virt. sent. prof. 85c.

[2] 339c; d: *οὕτω παντὶ μᾶλλον ἐρῶντι συγγνώμην εἶχεν ἢ αὑτῷ.*

chlamyde detracta corpus hostium regis texisse philosophi similem.

At qua ratione Alexander amicis usus sit et quomodo facinora, quae regi philosophi opprobrio dederant, orta sint, maxime Plutarchi interest demonstrare. Iam Polybius Alexandrum illius criminis absolvere conatus erat, Plutarchus hanc culpam amicorum et adulatorum esse dicit, qui tanta fuerint pravitate, ut regis animum ad facinora incitarent. Alios enim summo studio regi blanditos esse atque iis, quae vellet, satisfecisse, alios obsequio neglecto severissime eadem vituperavisse et illusisse. Quin etiam saepissime factum esse, ut idem vir secum repugnans saepe laudaret ea, quae paulo ante ipse reprehendisset. Exempla autem affert Plutarchus haec:

Himeraeus et Crison athletae prave se gerunt[1], quorum uterque, ut ab Alexandro currendo vincatur, operam dat, quod rex casu quodam de illo studio certior factus aegre fert. Atque identidem adulatorum illum pigebat, qui merita eius supra mensuram humanam laudarent. Cuius rei argumenta enumerantur „d. A. f.“ 331a: *μὴ γὰρ ἃς οἱ ποιηταὶ ταῖς εἰκόσιν αὐτοῦ καὶ τοῖς ἀνδριᾶσι μεγαληγορίας ἐπεχάραττον, οὐ τῆς μετριότητος ἀλλὰ τῆς δυνάμεως τῆς Ἀλεξάνδρου στοχαζόμενοι σκοπῶμεν.* Quibus similia paulo infra legimus. Nam Chares rerum scriptor Alexandrum a Dareo vulnus accepisse narraverat (341c), ut gravitatem rei augeret, quibus verbis laudatus ipse repugnat et illam nihil fuisse demonstrat nisi cicatriculam.

[1] quom. adul. 58f; de tranq. animi 471f.

Alexandrum igitur quidem saepe adulatorum verba vituperavisse, sed illius animum paulatim mollitum esse vidimus. Quantopere autem illud amicorum pravum studium et regis ipsius credulitas re vera aucta sint, Anaxarchi demonstrant verba, quibus Clito necato Alexandrum maestum consolabatur (p. 6). Sed optime iis, quae Agis Argivus regi respondisse narratur, nequitia amici docetur (quom. adul. 60 b et c). Alexander enim homini ridiculo cuidam magna vi pecuniae data medici iram et invidiam incitaverat, qui sui immemor exclamavit: *ὢ τῆς πολλῆς ἀτοπίας*. Cum autem rex iratus faciem vertisset, per blanditias se excusare conatus est: *ὁμολογῶ . . . . . ἄχθεσθαι καὶ ἀγανακτεῖν, ὁρῶν ὑμᾶς τοὺς ἐκ Διὸς γεγονότας ἅπαντας ὁμοίως κόλαξιν ἀνθρώποις καὶ καταγελάστοις χαίροντας· καὶ γὰρ Ἡρακλῆς Κερκωψί τισι καὶ Σειληνοῖς ὁ Διόνυσος ἐτέρπετο καὶ παρὰ σοὶ τοιούτους ἰδεῖν ἔστι εὐδοκιμοῦντας.* Fieri igitur poterat, ut Alexander, qui mala pravaque amicorum ingenia perspexisset, subito animi motu incitatus ad facinora se ipso indigna raperetur. Culpa sane minus illi attribuenda est quam adulatoribus, quorum blanditiae mores eius corruperant[1]. Eadem autem de causa illos liberalitate, clementia, indulgentia regis dignos non fuisse Plutarchus dicit. Fortitudo quidem et audacia amicorum a philosopho laudem exprimunt[2], sed ceteris virtutibus carent neque cum rege comparari possunt, cuius faciem vel habitum stulte imitantur, ut laudem et gloriam sibi comparent (quom. adul. 53d). Immo

[1] quom. adul. 65d. vita c. 23, 42, 48, 55.

[2] d. A. f. 339 b; 342 f; 344 imprimis!

vero avaritiae, invidiae, cupiditatibus serviunt (338c; 339b), quamquam Alexandri ipsius continentia ad meliores vitae rationes incitabat. Quo maior insolentia eorum est et res ab illis gestae prae Alexandri gloria dilabuntur. At Clitus Neptuno nomine accepto *τρίαιναν* agit (338a—c), Demetrius se *καταιβάτην* appellari iubet et a totius terrarum oppidis legatos ad se mitti censet, quem admirentur (ibid.), Lysimachus sese gerit, quasi deus sit, qui e caelo ad homines descenderit (ibid.); quin etiam Clearchus se deum esse putat et filium *Κεραυνόν* nominat (ibid.). Quanta autem re vera imbecillitas eorum fuerit, optime apparuit tum, cum Alexandro mortuo regnum tanti spatii tueri illorum fuit. Quod nullo modo factum est, immo vero *ἡ δύναμις ἤσπαιρεν, ἐπάλλετο, ἐφλέγμαινε, Περδίκκαις καὶ Μελεάγροις καὶ Σελεύκοις καὶ Ἀντιγόνοις, ὥσπερ πνεύμασι θερμοῖς ἔτι καὶ σφυγμοῖς διᾴττουσι καὶ διαφερομένοις* (336f).

Alexandrum sane Plutarcho admirationi fuisse, propterea quod res publica ab illo condita floruisset studiis litterarum, quibus rex ipse operam dedisset, primis alterius „d. A. f.“ libri capitibus docemur. Cuius rei causa in aperto est, cum imperator, qui scriptoris ipsius temporis erat, artibus, litteris, philosophiae faveret. Recte igitur mihi Hirzelius (l. l. II. p. 81) videtur iudicavisse, qui illa Plutarchi verba, quamquam de Macedonum rege scripta, tamem ad imperatorem spectavisse censet[1].

[1] Fieri potest, ut cum multa alia tum res a Traiano gestae Plutarchum commoverint, ut perscrutaretur, utrum Alexander auxilio fortunae an virtutis bella bene gesserit. Nam plurimos

In fine autem huius disputationis demonstrare liceat, quae Plutarchus de Alexandri libidinibus iudicaverit. Si quis enim philosophi opera diligentius legerit, permultis locis integritatem regis morum praedicatam esse concedet, quamquam occasio laudandi non semper erat praesto. Cuius rei exempla addam haec: Roxanen enim bello captam *οὐχ ὕβρισεν ἀλλ' ἔγημε φιλοσόφως* (332e) et, ne Darei uxorem pulcherrimam videret, recusavit (de curiosit. 522a; d. A. f. 338d et e). Atque cum Antigona a Cratero ad regem adducta esset, ut Philotae superbissima verba ei clam nuntiaret, *τοῦ μὲν σώματος οὐκ ἔθιγεν ἀλλ' ἀπέσχετο* (339f). Quo loco Alexander Agamemnoni opponitur, legimus (343a): *ὁ μὲν* (Agamemnon) *γὰρ προέκρινε τῆς γαμετῆς τὴν αἰχμάλωτον, ὁ δὲ* (Alexander) *καὶ πρὶν ἢ γῆμαι τῶν ἁλισκομένων ἀπείχετο.* Omnino autem nihil praetermittitur, quin regis probitas demonstretur, cum sive paucis sive pluribus verbis mores eius describuntur [1]. At qua de causa Plutarchus ita scripserit, perspici nullo modo potest. Philosophorum enim [2] et rerum scriptorum libri, qui quidem nobis traditi sint, regem feminis abusum esse non commemorant [3]. Fortasse autem Plutarchus illam

homines imperatori, qui subito et necopinatu imperio potitus erat, invidisse et fortunae tantum illam commutationem attribuisse constat. Plutarchus igitur Alexandri fortuna negata Traianum defendisse mihi videtur.

[1] 332d: *τὸ δ' ἐρωτικὸν σῶφρον.* 339a: *ἐγκρατής, ἀνάλωτος ὑφ' ἡδονῆς, ἄτρωτος ἐπιθυμίαις.*

[2] Lucianus, quem cynicae rationis studiosum fuisse constat, laudat etiam Alexandri abstinentiam (dial. mort. 14, 4).

[3] Curtius quidem Alexandri libidinem Persarum imperio subacto paulum incitatam esse narrat, sed in fine totius operis

regis integritatem quam maxime laudabat, propterea quod imperator Traianus, qui se cum Alexandro comparari non invitus audiret, paululum amori erat deditus.

Cynicorum iam et stoicorum sententiae a Plutarcho redargutae sunt, omnibus fere vitiis Alexander erat absolutus. At non solum defendere regem a stoicis intererat Plutarchi, sed etiam eos aggredi. Rem autem ita instituit, ut Alexandrum ipsorum stoicorum doctrinae[1] satisfacere doceret. Cuius rei argumenta prioris libri „d. A. f." conscripti capitibus 5—10 afferuntur. Qua de re cum Hoffmannus recte iudicaverit p. 93—96, eadem retractare nolo.

Verum autem philosophum Plutarchus putat non spectari verbis sed rebus[2]; Alexandrum igitur fuisse sapientem cognoscimus. Neque enim exercitationibus dialecticis neque magnis, quae de disciplinis agant, scriptis opus esse (328b), sed virorum clarissimorum animum atque indolem apparere et significari censet, *ἀφ' ὧν εἶπον ἢ ἀφ' ὧν ἐβίωσαν ἢ ἀφ' ὧν ἐδίδαξαν*[3]. Itaque eos ipsos sapientes, qui scribendo abstinuerint, ut Pythagoram, Socratem, Arcesilaum, Carneadem

---

(X 5) laudem etiam regi attribuit his verbis: *„iam modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium usus nec ulla nisi ex permisso voluptas"* (32).

[1] 332d: *βεβαιοῦντος αὐτοῦ τὸν Στωικὸν ἐκεῖνον λόγον.* 330a: *ὡς μὲν φιλόσοφος τοῖς ἀδιαφόροις χρώμενος.*

[2] 339b: *τῷ λόγῳ τὸ ἔργον παρέσχεν.* 331f: *ἠσχολούμην ἂν περὶ λόγους, εἰ μὴ δι' ἔργων ἐφιλοσόφουν.*

[3] cf. Dionem etiam: II 26.

philosophi nomine dignos esse, quibus gravissimus adnumerandus sit Alexander, rex Macedonum[1].

Si quis iam ea, quae Plutarchus voluerat eaque, quae assecutus erat, intellexerit, illum summa prudentia summaque subtilitate opprobria a priorum temporum philosophis allata delevisse et regem maiore quam antea laude affecisse concedet. Imprimis vero ille argumentis confirmavit, quantae Alexander toti generi humano fuisset utilitati eo, quod multas gentes ab omni cultu alienas humanitatem et doctrinam docuisset. Illa autem secunda rei publicae conditio ad reliquorum quoque sapientium sententias pertinebat. Nam cum

---

[1] Plutarchi iudicia, quae in philosophicis operibus legimus, eo tantum consilio scripta esse constat, ut laudes regis quam maxime amplificarentur. Eiusdem autem studii Plutarchus memor non erat tum, cum regis vitam conscripsit. Nam rebus ipsis fides historia postulabatur, quamquam Plutarchus ipse se vitas scribere, non historias condere dicit (Alex. c. 1). Nonnulla sane mentione dignissima addere liceat.

Uno iam loco (c. 59) Plutarchus vituperat regem, qui milites mercennarios Indiam pervagantes dolo ceperit. Praeterea autem Alexander nimium luxisse Hephaestionem memoriae traditur (c. 72), cuius mortem *οὐδενὶ λογισμῷ* tulisset. Sed gravissimum est, quod in duabus rebus gerendis Alexandro fortunam favisse „vitae“ scriptor concedit: Apud Issum enim illam locum pugnandi quam maxime idoneum dedisse (c. 20) et, cum expeditio ad templum Iovis Hammonis pararetur, pluvias misisse laboresque diminuisse (c. 27). In capite 26 etiam Plutarchus scribit: *ἥ τε γὰρ τύχη ταῖς ἐπιβολαῖς ὑπείκουσα τὴν γνώμην ἰσχυρὰν ἐποίει.* Paulum denique Plutarchus secum repugnat hoc modo: regem enim honores divinos recusavisse philosophus narraverat, cui sententiae rerum scriptor obloquitur in capite 28, ubi legimus: Alexandrum honores immortalibus debitos accepisse, ut barbaras gentes, quae illis assueverant, sibi obloquentes redderet. Cuius discrepantiae causa facile perspicitur, cum in conscribenda principis „vita“ illa Alexandri defendendi non praevaluerit ratio.

alios, qui altero p. Chr. n. saeculo essent, philosophos tum stoicos ipsos acerbis de Alexandro iudiciis abstinuisse et paulum regi favisse intellegemus. Quin etiam illo demum tempore factum est, ut historiarum etiam scriptor, qui sapientiae studuerat, res a rege gestas aequo describeret animo. Laudes enim Arriani cum Senecae verbis iniquissimis comparatae demonstrabunt, quantopere hominum voluntates commutatae sint[1].

Arrianum sane compluribus operis locis, in primis potissimum libri VII capitibus philosophicis rationibus usum esse constat. Hoffmannus quoque illius rei gravitatem (p. 100) perspexit, sed ea, quae ibi leguntur, stoicorum prioris saeculi sententiis repugnare non cognovit. Itaque nonnulla addere liceat exempla iis, quae vir doctus exposuit.

Arrianum enim facinora Alexandri excusare conatus Cliti necem nihil nisi *συμφοράν* putandam esse scribit e superbia interfecti ortam (IV 8, 1; 9, 1). Similia autem de reliquis amicis ab Alexandro occisis iudicia legimus. Etiamsi quis illam opinionem eorum, quos Arrianus sequeretur, auctorum fuisse putet, tamen scriptorem suam ipsius sententiam attulisse non negabit, iis quidem, quibus Callisthenes vituperatur, verbis perlustratis: *ἐκεῖνα δὲ οὐκέτι ἐπιεικῆ δοκῶ τοῦ Καλλισθένους . . . . . , ὅτι ὑφ᾽ αὑτῷ εἶναι ἀπέφαινε καὶ τῇ αὑτοῦ ξυγγραφῇ Ἀλέξανδρόν τε καὶ τὰ Ἀλεξάνδρου ἔργα*

[1] Quod Hoffmannus ipse perspexit tum, cum scripsit: „*Man vergleiche aber mit Arrians maßvollen Worten die wüsten Schilderungen der Alexanderfeinde, z. B. bei Curtius V 6.*“ (p. 101 adn. 1).

(IV 10, 1). — *οὔκουν ἀπεικότως δι' ἀπεχθείας γενέσθαι Ἀλεξάνδρῳ Καλλισθένην τίθεμαι ἐπὶ τῇ ἀκαίρῳ τε παρρησίᾳ καὶ ὑπερόγκῳ ἀβελτηρίᾳ* (IV 12, 7).

Atque in eodem libro (8, 3) Arrianum iis, quae in auctorum operibus legerat, sua ipsius iudicia adiunxisse apparet. Cum enim totius capitis verba pertineant ad vocem *λέγουσι*, qua fortasse Aristobulus et Ptolemaeus significantur, in paragrapho tertia nonnulla, quae regem excusent, illis addita invenimus: *οἷοι δὴ ἄνδρες διέφθειράν τε ἀεὶ καὶ οὔποτε παύσονται ἐπιτρίβοντες τὰ τῶν ἀεὶ βασιλέων πράγματα.* Itaque Alexandri facinora ab Arriano ipso defendi constat, qua in re a prioris saeculi stoicorum sententiis dissentit, imprimis a Senecae verbis. Alio quoque loco cum eodem philosopho non congruit. Ille enim nimiam regis paenitentiam vehementissime insectatus erat, Arrianus Clitum vituperat, laudat Alexandrum his quidem verbis (IV 9, 2): *ἀλλὰ τὰ ἐπὶ τοῖσδε αὖ ἐπαινῶ Ἀλεξάνδρου, ὅτι παραυτίκα ἔγνω σχέτλιον ἔργον ἐργασάμενος.* Praeterea autem regis liberalitate minime Arriani animus offenditur, qui saepe illius virtutis mentionem faciat neque laudibus abstineat, cum scribat: tum, cum Babylone sollemnia nuptiarum celebrarentur, regem omnes sumptus toleravisse et unicuique sponsae dotem dedisse (VII 4, 7 et 8). Idem igitur, quod Seneca quasi insolentiam vituperaverat, Arrianus probat. Quin etiam regem, quod Persarum habitu usus sit, cum Plutarcho consentiens excusare conatur (VII 29, 4): *ὡς ἔμοιγε καὶ ἡ Περσικὴ σκευὴ σόφισμα δοκεῖ εἶναι πρός τε τοὺς βαρβάρους . . . . . καὶ πρὸς τοὺς Μακεδόνας.*

Verum tamen nonnullis locis scriptor non abstinet acerbis verbis. Reprehenditur enim Alexander, quod Bessum, qui Dareum necaverat, barbarorum regum morem imitatus maiore affecerit poena (IV 7, 3 s). Potissimum autem eam stoicorum rationem, quae omnes humanas res pro nihilo putandas esse docebat, integram legimus eo loco, quo rex Indicos sapientes convenisse narratur (VII 1—3). Quorum quamquam sapientiam et doctrinam Alexander probat atque laudat, sic ut et Diogenis gravitatem admiratus erat, tamen nimia gloriae cupido eum impedit, quominus eos imitetur: *οὕτω τοι οὐ πάντη ἔξω τοῦ ἐπινοεῖν τὰ κρείττω ἦν Ἀλέξανδρος, ἀλλ᾽ ἐκ δόξης γὰρ δεινῶς ἐκρατεῖτο* (VII 2, 2).

Tota iam iudiciorum commutatio pertinebat ad stoicos, cuius sectae M. Aurelius, et philosophus et rebus gerendis imperator spectatissimus, se addixerat.

Hoffmannus autem, qui sapientium de Alexandro sententias commutatas esse non cognovit, Marcum Aurelium iniuria iis adnumerat philosophis, qui regem vituperaverint. Nam quod imperator brevitatem et fragilitatem cum omnium rerum humanarum tum omnis eximiae potestatis exposuit (6, 24; 9, 29; 10, 27) et regum gloriam et laudem prae sapientia et facilitate philosophorum contemnit (8, 3), mihi nihil esse videtur. Nemo sane dubitet, quin ea saltem ratione philosopho stoico decretis scholae satisfaciendum fuerit. Sed acerba, quae Seneca priore saeculo scripserat, verba ut in Arriani operibus, ita in Marci Aurelii libris desiderantur. Immo vero imperatorem quasi consilio res ab Alexandro gestas silentio neglexisse puto.

Atque eodem, quo Marcus Aurelius studio Maximus Tyrius fuisse videtur, quod iam Hoffmannus recte animadvertit (p. 83 adn. 3). Nam ab illo quoque philosopho regis raro tantum mentio fit. Duobus enim locis (3, 9; 36, 6 Dübner) maiore quam Alexandrum laude afficit Diogenem, quem omnes principes et philosophos fama gloriaque superavisse docet. Praeterea autem Philippi filius vituperatur, quod adulatoribus sese dederit: Quibus auctoribus regem induisse Persarum habitum et sui ipsius generis virtutis oblitum esse (20, 8). Verum tamen maioris momenti est, quomodo alio loco (41, 1) Maximus Tyrius verba et, quae laudent, et quae reprehendant, coniunxerit. Castigatur quidem Alexander, qui in templo Iovis Hammonis nihil aliud sacerdotes interrogavisset nisi, e quibus fontibus Nilus flumen ortus esset. Sed ne laudibus quidem Maximus Tyrius illo loco abstinuisse mihi videtur, cum scriberet: *Φασὶ τὸν Μακεδόνα Ἀλέξανδρον, ἀφικόμενον εἰς Ἄμμωνος, προσείποντος αὐτὸν τοῦ Ἄμμωνος παῖδα πιστεῦσαι τῷ θεῷ κατὰ τὴν Ὁμηρικὴν φήμην, πατέρα αὐτὸν θεῶν καὶ ἀνθρώπων ὀνομάζοντος.* Quo facto sententia eorum deletur philosophorum, qui illo ipso tempore regis superbiam ortam esse censuerant.

In fine autem huius partis mentio fieri liceat Gelli, cuius iudicia neglegenda non sunt, cum Favorino philosopho sapientiae praeceptore usus esset[1]. Gellium

[1] De ingenti auctorum numero, quibus Gellius utebatur, pluribus verbis agit Mercklin: Die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius i. d. Noctes Atticae (N. J. f. Ph. Suppl.-B. 3, p. 635—710).

quoque parvam tantum rationem habuisse Alexandri intellegimus, sed iis locis, quibus rex commemoratur, summas ei attribui laudes constat. Atque Alexandrum admiratur philosophus, quod Aristotelem magistrum per totam vitam magni aestimaverit, *„in illis tamen tantis negotiis belli“* ad eum litteras miserit, tantopere operum dederit (XX 5, 7 ss) rebus, quae ad philosophiam pertinerent, ut regis studia doctrinae maiore laude digna essent quam gloria eius belli. Summa quoque morum integritas Alexandri aestimatur et, quomodo ille sese gesserit, cum Darei uxorem pulcherrimam in castris haberet, comprobatur: Eadem sane laude Scipionem floruisse philosophus censet neque diiudicat, uter magis laudandus sit (VII 8)[1]. Simili autem ac Gellius modo Philostratus de Alexandro scribit, quem ab ebrietatis crimine defendit. Macedonum enim regem neque Nysam montem, ubi Bacchus natus esse dicitur, ascendisse neque vino sese obruisse memoriae tradit (Apoll. Tyan. I. p. 50, 19 Kays.), cuius rei incolae oppidi ipsius testes essent, qui regem veritum, ne libidines militum incitarentur, illum locum consilio non adisse narraverint. Quin etiam philosophus se aliorum auctorum iudiciis repugnare non ignorat, quod verbis eius ipsis docemur: *καὶ γιγνώσκω μὲν οὐκ ἐς χάριν ταῦτα ἐνίοις γράφων.* Philostratus igitur veritatis amantissimus laudem attribuere debere Alexandro putat eos, qui vera scribere in animo habeant. Sententiae sane eius assentiri possumus eo quoque loco,

[1] cf. Hoffm. p. 81 adn. 3.

quo narrat (ibid. p. 62, 27 Kays.) Porum Alexandri magnitudinem et liberalitatem admiratum omni tempore ea, quae ille iussisset, egisse, quin etiam tantopere eum amasse, ut mortuum multis cum lacrimis defleret *ὡς γενναῖον καὶ χρησμὸν βασιλέα.*

At unius eiusdem saeculi viri legimus iudicia, quae a ceterorum verbis differunt. Nam L u c i a n u s (120—c. 180), satirarum scriptor, solus laudibus abstinet. Quod quidem minime mirum est; maior enim pars Luciani operum id spectat, ut omnium hominum omnia vitia et omnes mores irrideantur. Priorum enim philosophorum aut rerum scriptorum cumulantur opprobria „dialogis inferorum", qui Macedonum regem cum Hannibale aut Diogene aut Philippo certantem faciunt (12—14)[1]. Illa igitur verba omnino nobis praetermittenda sunt, cum verae Luciani sententiae studio illudendi obumbrantur. Sed quod Alexander se divinis honoribus adorari iusserat, philosopho r e v e r a offensioni fuisse atque verba acerbissima capitis XIII cum opinionibus illius consensisse suspicor. Quamquam enim compluribus locis scriptor res a rege gestas probat, tamen nullam huius vitii vituperandi occasionem omittit. Quod paragraphis 17—19 libri *περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν διαβολῇ*

[1] Lucianum in dialogis conscribendis non tam Menippi opera quam Aristophanis „Ranes" et sophistarum exempla imitatum esse Helmius docuit (Lucian und Menipp p. 205 ss). Idem autem vir doctus Dionis orationem IV et Luciani dialogum XIV similia esse scribit, quibus verbis mea adiuvatur opinio Dionem illam habitam esse orationem, cum cynicorum habitum et doctrinam sequeretur.

conscripti optime demonstratur, quibus Alexander Hephaestioni mortuo divinos honores attribui atque templa et aras aedificari iussisse narratur. Atque in ludibrium puerile regis studium vertitur eo, quod amici incredibili modo adulantur et se Hephaestionem immortalium insignibus indutum in somnio vidisse dicunt.

Verum tamen re vera Luciani animum minime ab Alexandri aestimatione abhorruisse reliquis operibus docemur. Duobus enim locis regem recte fecisse demonstratur, qui amicorum blanditias vituperavisset, ut Aristobuli et Onesicriti (hist. 12 et 40). Praeterea autem illius moderatio laudatur eo potissimum tempore perspecta, quo artifex quidem se Athon montem in illius imaginem versurum esse pollicitus erat (pro imag. 9; hist. 12). Sed summa laude Alexandri integritatem morum dignam fuisse scriptor putat, propterea quod a Darei regis uxore pulcherrima abstinuisset (dial. infer. 14, 4). Quaerat autem quispiam, qua de causa Luciani de Alexandro sententiae sibi non constiterint. Operum sane ratione discrepantiam postulari puto. Cum enim libri „dialogorum inferorum" componerentur, ipsum scribendi genus Menippeum, ut illuderetur Macedo, spectabat; propria philosophi iudicia in iis libellis, qui illo pravo studio careant, legimus.

III.

De Iuliano.

Multi quidem alterius p. Chr. n. saeculi sapientes Alexandri mentionem fecerant, sequentibus autem centum

annis philosophorum sive aequa sive iniqua desiderantur verba. Duobus autem fere saeculis post Luciani mortem opera nobis occurrunt imperatoris Iuliani (361—363), cuius de Alexandro iudicia neglegenda non sunt, cum laudes et opprobria incredibili modo etiam ab illo coniuncta sint.

Hoffmannus autem quamquam illam animi dissensionem perspexit (p. 84) et Iulianum Macedonum regem imitatum esse multis verbis demonstrat, tamen mihi videtur erravisse, cum scriberet (p. 85): „*Julian scheidet scharf zwischen Alexander dem Feldherrn und Alexander dem König.*“ Sed iam eo, quod de regis sceleribus alia aliis locis iudicantur, illam refelli opinionem mihi persuasum est.

Iulianus enim vir fortissimus et rei militaris peritissimus erat, cuius virtutis bella in Gallia et in Asia gesta sunt testimonia, sed a pueritia litteris studuerat. Verum tamen unius scholae discipulis adnumerandus non est, immo vero Platonici ordinis praecepta ad prima eius studia pertinuerant, cui rei orationes 4 et 5 argumento sunt; praeterea autem cynicorum decretis aliquantum favebat. Qua de causa non tantum habet miri, quod eius de Macedonum rege iudicia inter se repugnant atque discrepant.

Quae quidem omnino Iulianus de Alexandro iudicaverit, illius ipsius verbis docemur (ad Themist. 328, 7 ss Hertlein): *καί μοι πάλαι μὲν οἰομένῳ πρός τε τὸν Ἀλέξανδρον καὶ τὸν Μάρκον . . . . . εἶναι τὴν ἅμιλλαν* . . . . . . Facile igitur intellegemus, quomodo discrepantia sententiarum orta sit. Iulianus enim, quotiens ad humanas tantum res spectabat, regem laudabat,

cuius gloriosissima facta animum illius commoverent, quotiens philosophicis rationibus satisfaciebat, Marcum Aurelium imitabatur, qui et sapientiae deditus erat et totius orbis terrarum imperium tenuerat. Itaque in iis libris, qui imprimis de philosophia agunt, Alexandri gloria prae sapientiae praeceptorum laude dilabitur, in reliquis scriptis res ab eo gestae probantur[1]. Si quis iam ea ratione usus opera Iuliani legerit, illas in has partes discedere concedet. Macedoni enim favent: Orationes 1—3, quibus imperator Constantius laudatur, et corpus epistularum, quarum eae, quas Iulianus ad incolas Alexandriae miserat, maximi ponderis sunt. Alexandrum vero reprehendunt: 1. orationes 6 et 7, et epistula ad Themistium data, quae cynicorum praecepta sequuntur. 2. oratio 8, qua philosophus amico mortuo se ipse consolatur. Eandem autem vituperandi rationem sequuntur ea, quae in „convivio" legimus. At illius operis verba caute provideque adhibenda sunt, quibus Iulianus Lucianum imitatus satirarum scriptorum modo hominum pravitates illuserit[2].

Iudiciis sane eorum librorum, qui priore loco allati sunt, quanti Iulianus Alexandrum et militem et imperatorem aestimaverit, demonstratur. Nonnumquam enim (orat. I 20, 14 ss; II 93, 10 ss) res a rege gestae commemorantur, neque dissimulatur laudabile gloriae studium incitavisse eum, qui cum omnes superiorum temporum principes tum Philippum patrem ipsum virtute superavisset (orat. III 137, 18). Itaque regem rei

[1] Eodem animi motu Ciceronem fuisse supra demonstravi.

[2] Iulianum in conscribendo convivio Luciani dialogis inferorum usum esse Helmius demonstrat (l. l. p. 73 ss et 205 s).

militaris peritissimum, si occasio data esset, Romanos victuros fuisse Iulianus cum Plutarcho consentiens putat, quod verba orationis III 137, 24 ss docent[1], ubi legimus: Orientis populis subactis nihil impedivisse Alexandrum nisi fortunam, quominus reliquas quoque terras in potestatem redacturus fuerit. Atque ea, quae in animo ei erant, quam apertissime in epistula 51, 557, 4 et 5 exponuntur: *Ἀλέξανδρος δὲ κἂν Ῥωμαίοις εἰς ἅμιλλαν ἰὼν ἀγῶνα παρεῖχε.* Praeterea autem liberalitatis regis mentio fit (orat. I 54, 7 ss) et praecipue admiratio eius Homeri laudatur (epist. 15, 494, 9 ss), quin etiam facinora eius excusantur. Nam in oratione II 123, 18 s verbis ad ludibrium factis nonnumquam iram hominum irritatam esse scriptor concedit et iis, qui iure sese defenderint, Alexandrum adnumerat; in epistula 59, 575, 19 etiam regis facinora nihil nisi *παιδιάς* fuisse dicit.

Sed his Alexandri laudibus Iulianus obloquitur iis operibus, quibus de philosophia agitur[2]. Sapientis enim studium optime apparet verbis epistulae ad Themistium missae (342, 7 ss), quae omnibus rebus superiorem fuisse rege docent philosophum, propterea quod hic solus aliquid boni et utile effecisset, illius bella hominibus nihil nisi miseriarum tempestates excitavissent. Alio etiam eiusdem epistulae (333, 4) loco res a rege gestas non virtuti illius, sed fortunae, quae omni tempore eum

---

[1] Iam eo, quod Iulianus scribit: *τὰ λειπόμενα περιβαλόμενος* maiorem partem perfectam esse demonstratur.

[2] Uno iam orationis VI loco (263, 4) Macedonum regem admiratum esse Diogenem legimus.

adiuverit, attribuenda esse censet[1] Iulianus cum priorum temporum cynicis consentiens.

At illa verba sane infestissima acerbitate superantur iis, quae Iulianus satirarum scriptorum modo in „convivio“ narrat. Alexander enim, ut supra dictum, a Marco Aurelio philosopho sapientia et virtute vincitur, quin etiam ei similia opprobria[2] dantur, quae Lucianus adversarios regis loquentes fecerat. Regis enim vinolentia commemoratur (409, 2 ss) et nimia gloriae cupido, quae in oratione III laudata erat, hoc libello reprehenditur (424, 7 ss) atque id quidem eodem modo, quo Dio in quarta *περὶ βασιλείας* oratione illius pravitatem vituperaverat[3]: Alexandrum iam non solum homines, sed etiam bestias vincere in animo habuisse censet *(πᾶν μὲν ἀνθρώπων πᾶν δὲ θηρίων γένος)*. Quibuscum verbis iudicia orationis VIII (324, 22 ss) congruunt, ubi legimus: *Ὁμήρου τοί φασι δεῖσθαι καὶ τὸν Ἀλέξανδρον, οὐ δήπου συνόντος ἀλλὰ κηρύττοντος ὥσπερ Ἀχιλλέα καὶ Πάτροκλον καὶ Αἴαντας ἄμφω καὶ τὸν Ἀντίλοχον. Ἀλλ' ὁ μὲν ὑπερορῶν ἀεὶ τῶν παρόντων, ἐφιέμενος δὲ τῶν ἀπόντων οὐκ ἠγάπα τοῖς καθ' ἑαυτὸν οὐδὲ ἠρκεῖτο τοῖς δοθεῖσι· καὶ εἴπερ ἔτυχεν Ὁμήρου, τὴν Ἀπόλλωνος ἴσως ἂν ἐπόθησε λύραν, ᾗ τοῖς Πηλέως ἐκεῖνος ἐφύμνησε γάμοις.*

---

[1] Hoffmannus p. 84 adn. 3 haec verba cum iis consentire concedit, quae Dio in oratione IV scripserat. Sententiam igitur, quae de illa oratione a me p. 51 allata est, ille ipse adiuvare videtur.

[2] Qua in re cum Hoffmanno consentio, qui p. 86 pluribus verbis de convivio agit.

[3] Congruentia verborum orationem IV eo tempore scriptam esse iterum demonstratur, quo philosophus oppida imperii pervagabatur cynicorum rationem imitatus.

Praeterea autem „convivii“ sententiae iis, quae priore loco tractavimus, operibus hac re repugnant. Alexander enim vehementissime vituperatur (425, 15 ss), quod Clitum familiarissimum necaverit. Nam Dionysius Silenum, qui Macedonem illudit, cohortatus, ne illum iratum faciat, *Παῦσαι* . . . inquit *τοιαῦτα λέγων, μή σε οὗτος, ὁποῖα τὸν Κλεῖτον ἔδρασεν, ἐργάσηται.* Cui crimini Alexander rubore obfusus et lacrimans ne respondere quidem audet.

Unius denique loci (orat. I 57, 3 ss) verba addere liceat, quae opinioni meae supra dictae obloqui videantur. Quamquam enim reliquis orationis I iudiciis regi laudes attribuuntur, hic Alexandro luxuria opprobrio datur et praecipue reprehenditur, quod ille sibi deorum honores attribui iusserit et eos, qui tam pravo studio obstitisset, maiore poena quam hostes ipsos affecerit. Sed haec discrepantia tollitur iis, quae apud Lucianum leguntur, quem saepissime eandam Macedonis superbiam vituperavisse supra commemoravimus. Illum sane hoc loco Iulianus imitatus regis gloriae obtrectatur, quamquam causa illudendi minime data erat. Quod quidem facile fieri poterat in hac ipsa oratione, qua philosophus imperatori Constantio servili modo adulatur.

Quibus rationibus perspectis imperatoris studia in duas partes discessisse cognovimus. Laudatur enim Alexander ab imperatore, vituperatur a philosopho.

Appendix.

Quae veteres rerum ecclesiasticarum scriptores iudicaverint.

Sententiis philosophorum addam ea, quae de Alexandro a rerum ecclesiasticarum auctoribus scripta sunt. Dixerit autem quispiam hoc operae pretium non esse, cum illi religionis defendendae causa priorum temporum viris gentibusque infestissimi uno consensu maligne de Macedonum rege iudicavisse exspectandi essent. Sed qui scripta eorum diligenter legerit, item iudicia inter se non consensisse cognoscet.

In Tatiani imprimis operibus, qui apologetis adnumerandus est, verba legimus de Alexandro acerbissima. Cuius rei causa affertur ex eo, quod illi viri a litteris alieni paganorum virtuti et gloriae satisfacere non poterant. Tatianus igitur (ad Graec. 2) Macedonum regem in Callisthenem amicum saevisse[1] et scelere commisso vultum maestum simulavisse, quin etiam vini usum immoderate appetivisse narrat, quod vitium severissime vituperatur[2]. Tertullianus quoque, qui Tatiani tempore erat, illudit (de pallio 4) Alexandrum, qui

[1] Cuius scriptoris verba (c. 2): *διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι προσκυνεῖν αὐτόν* congruunt cum iis, quae apud Senecam legimus (de ira III 17, 1): „*qui* (Alexander) *Clitum .... transfodit .... parum adulantem.*"

[2] Eodem autem loco Aristoteles ipse reprehenditur, qui discipulo blanditus sit et eum illa perniciosa non solum docuerit, sed etiam laudaverit facinora, quae magistri praecepta secutus commisisset *(ὅστις ἀριστοτελικῶς πάνυ)*. Quae Tatiani opinio memoriam affert Luciani, qui simili modo de Aristotele Alexandrum loquentem fecerat (dial. mort. 13, 5).

quamquam „*Medicam gentem*“ vicisset, tamen „*Medica veste*“ victus esset. „*Non erat satis animi tumens Macedo, ni illum etiam vestis inflatior deiectasset*[1].“

Ita quidem sane iudicare poterant ii, qui priorum temporum sapientium sententiis rescribere et demonstrare conabantur, quanta vitia paganorum viris clarissimis fuisset. Sed scriptores Christiani cum studiosius litteris sese dedissent, veteres philosophos veteresque reges tantis contumeliis afficere desierunt. Verum tamen rebus ab Alexandro gestis varie animi eorum offendebantur; illa potissimum divinae regis originis fama iis vituperatione dignissima erat, cuius studii testis est Clemens Alexandrinus (c. 150—220 p. Chr. n.), qui et pietatem Christianam et cynicarum dissertationum ironiam miro modo coniunxit. Duobus enim locis (Protrept. p. 24 Stähl.; p. 70) haec regis superbia reprehenditur. Praecipue autem paginae 70 verba non sunt neglegenda, quae ita cum aliorum philosophicorum operum sententiis congruunt, ut optime cognoscamus, cui disciplinae scriptor studuerit. Nam illo loco Clemens oraculorum Sibyllinorum versibus usus humanae originis convincit Alexandrum, cum scribat: *ὅν Βαβυλὼν ἤλεγξε νεκρόν* = Sibyll. V 6 et XII 6: *ὅν Βαβυλὼν ἤλεγξε νέκυν*[2]. Atque idem argumentum legimus apud Lucianum

[1] Sed valde dubium est, utrum hac satira minime auram Christianam spirante Tertullianus suam exposuerit sententiam an vetus quoddam exemplar cynicum secutus sit.

[2] Undecimi quoque oraculorum libri verbis Alexander reprehenditur. Legimus enim XI 186—188:

ἔνθα Μακηδονίων πάλι ἔσσεται Ἑλλάδι πῆμα
καὶ Θρήκην ὀλέσει πᾶσαν καὶ μῶλον Ἄρηος
*νήσοις ἠπείροις τε φιλοπτολέμοις τε τοράτροις.**

et Dionem, quorum hic scribit (LXIV, 22): *ὧν τὸν μὲν ὁ θάνατος ἤλεγξεν,* ille Alexandrum loquentem facit (dial. mort. 13, 2): *ἔτι ἐν Βαβυλῶνι κεῖμαι τρίτην ταύτην ἡμέραν.* Eodem autem Clementis loco iterum Luciani affertur memoria. Nam ea, quae Christianus narrat: *τρισκαιδέκατον ἄνθρωπον ἀναγράφοντες θεὸν Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα* similia sunt Luciani verbis: *ἔνιοι δὲ καὶ τοῖς δώδεκα θεοῖς προστιθέντες (Ἀλέξανδρον)* (dial. mort. 13, 2). Itaque cum et Luciani et oraculorum Sibyllinorum et Clementis iudicia eodem fere tempore scripta sint[1], perspicimus, quales illius aetatis scriptorum fuerint voluntates.

At litterarum studio paganorum in Christianos odium paulatim resedit, quorum complures comprobaverunt etiam res ab illis gestas. Fortasse autem eo, quod a. 324 Constantino auctore res publica Romana unius dei cultum suscepit, illorum iudicia commutata sunt. Neque enim casu accidit, ut iisdem fere temporibus ei erant scriptores, qui Macedonum regem laudarent. Atque Gregorius *ὁ θεολόγος,* quanta Poro victo Alexandri fuerit clementia, narrat (contr. Iul. I 41) et mansuetudinem laudat regis, qui cum Parmenio suasisset, ut oppidi cuiusdam capti incolas crudeliter necaret,

[1] Quo tempore prooemii libri V versus (1—51) scripti esse videantur, Geffckenius exponit in libello suo: Komposition und Entstehungszeit der Oracula Sibyllina (Texte u. Unters. z. Gesch. d. altchr. Literat. VIII. 1). Ibi legimus p. 30: „*Dieses Stück* (das Proömium) *ist von völlig anderem Geiste als das eigentliche V. Buch. Der Römerhaß ist vorbei, der Jude preist Hadrian und sucht sich vielleicht bei den Antoninen durch eine Hymne auf ihr Geschlecht einzuschmeicheln. Er selbst lebte unter Marc Aurel (172—180).*“

responderit (carm. moral. XXV 276 et 277): *Σοὶ μὲν γάρ ἐστι ὠμότης, τὸ δὲ πρᾶον ἐμὸν, φυγεῖν τε τὴν πόλιν τοὺς κινδύνους.* Quin etiam Gregorius Eustachium sophistam admonet, ut Macedonum regem imitetur (epist. 89): illum enim litterarum studiosum Athenienses summa affecisse liberalitate et Athenas ipsas theatrum regni sui appellavisse. Sed summae Alexandro attribuuntur laudes (carm. moral. X 818—822), quod Darei filias pulcherrimas, quas captivas in castris haberet, ne adspicere quidem voluerit, cum ei persuasum esset:

εἶναι γὰρ κακοῦ
Τ᾽ ἀνδρῶν κρατήσανθ᾽ ἧσσον εἶναι παρθένων[1].

Atque eiusdem Alexandri gloriae iisdemque fere ac Gregorius verbis Basilius duobus etiam locis affert memoriam (serm. de legend. libr. gentil. 5; sermo XIX de temp. et incont.). Praeterea autem ab eo admonentur Christiani, ut imitentur regem Macedonum, qui cum numquam delatoribus credidisset, iuste et clementer iudicasset (epist. class. I 24 ∾ epist. class. II 94). Illam iam animi praestantiam apparuisse, quo tempore rex Philippo medico a multis hominibus ut insidiatori accusato totum sese commisisset (epist. class. II 272).

At illorum virorum aequa sane iudicia superantur etiam iis, quae apud Iohannem Chrysostomum leguntur (adv. oppugnat. vit. monast. 2, 5). Qui — incredibile paene est dictu, praesertim cum illo ipso tempore imperatorem Iulianum Alexandrum gloriae

[1] Unius tantum loci (carm. moral. XV 91 et 92) Alexandri reprehenditur vinolentia.

ducem sibi proposuisse constaret — laude dignissimum fuisse regem censet tum, cum Diogenem convenit, propterea quod contendisset cunctaque molitus esset, ut huius virtutibus propius accederet.

Eadem autem ac Iohannes aetate erat Hieronymus, qui compluribus verbis de rege agit. Paululum quidem vituperare voluisse videtur, cum narraret (epist. 107, 682) Alexandrum *„in moribus et incessu Leonidis praesagii sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuisset infectus"*. Sed reliqua iudicia summis afficiunt laudibus Macedonum regem. Hieronymus enim se res ab Alexandro et a Scipione gestas admirari et imitari concedit (apolog. adv. libr. Rufini 567) et regis vitam describere tantopere pretium esse putat (vit. s. Hilar.), ut Homerus quoque *„invideret materiam vel succumberet"*.

Itaque complures illius temporis rerum ecclesiasticarum scriptores Macedonem fovisse intelleximus. Quae laudes quamquam prae Plutarchi iudiciis parvae, nec tamen contemnendae sunt, quoniam Christiani Alexandrum eodem atque ille modo numquam probare possent. Sed non omnes eiusdem fere aetatis viri docti eadem iudicavisse constat, cuius rei argumenta afferuntur verbis Augustini. Qui cum „de civitate dei" scriberet, rerum humanarum contemptione factum est, ut simili ac M. Aurelius modo parvi aestimaret res ab omnibus hominibus gestas. Alexandro igitur satisfacere non poterat Augustinus, qui iudicaret (XVIII 42): *„Nam post Alexandri Macedonis, qui etiam Magnus cognominatus est, mirificentissimam minimeque diu-*

turnam potentiam, qua universam Asiam, immo paene totum orbem, partim vi et armis, partim terrore subegerat . . . ." Eadem autem animi affectione commotus Christianus reges, qui vi et armis regna sibi paraverant, contemnebat et Ciceronis argumentis usus latrones esse putabat (IV 4). Quin etiam Alexander ab eo reprehenditur, quod Iudaeorum sacrificaverit deo, quem non „*vera pietate*" sed „*impia vanitate*" coluisset (XVIII 44).

Eandem sane rerum humanarum contemptionem apud Orosium quoque legimus, Augustini aequalem et familiarem, modo ut acerbitas verborum aucta sit. Severissimis enim criminibus obruitur Alexander et, quod paganus fuerit et quod litteris studuerit. Itaque mirum non est, quod libri III capita 16—20, quae pluribus verbis de Alexandro agunt, et ii loci, qui regis mentionem tantum faciunt, aliquantum cum Senecae philosophi iudiciis congruunt, id quod optime his docebitur exemplis:

I. „*Sed nec minor eius in suos crudelitas quam in hostium rabies fuit*" (III 18, 8 = Seneca de benef. I 13).

II. „*humani sanguinis inexsaturabilis sive hostium, sive etiam sociorum*" (18, 10 = Seneca ibid.)

III. „*Indiam petit, ut Oceano ultimoque Oriente finiret imperium*" (19, 1 = Seneca epist. 91, 17; 94, 63; 119, 7).

IV. „*terrarum metas lustrans et utrique notus Oceano*" (20, 8 = Seneca epist. 119, 7).

Paucis denique verbis Orosii de Alexandro iudicia complecti liceat. Regem sane superbissimum et gloriae cupidissimum fuisse putat, qui latronis similem terras pervastaret gentibusque afferret ruinam, („*igitur Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit*“ III 23, 6) neque dubium ei est, quin ille et amicis et hostibus ut prodigium perniciosum odio fuerit. Quae quidem modo narravi, iam antea philosophi reprehenderant. Sed nonnulla n o v a ab Orosio cumulantur opprobria mentione dignissima, propterea quod ceteri Christianae religionis scriptores priorum tantum auctorum argumentis usi erant. Ab Alexandro enim pecunia emptos sacerdotes Hammonis regem Iovis filium declaravisse Orosius scribit (III 16), ut infamiam patris incerti et adulterae matris aboleret, quibus narratis docetur, quantopere illius animum offenderit divinae Alexandri originis fama. Atque maioris etiam ponderis sunt verba, quibus de fortuna Darei iudicatur (III 17, 1—7), qua in re narranda Orosius severissime repugnat Basilio et Gregorio. Summae enim crudelitatis et inhumanitatis accusatur Alexander, qui et uxorem et parvulas filias „*crudeli captivitate*“ retinuisset. Nusquam sane illa verba acerbissima, ne apud eos quidem scriptores, qui aliis causis commoti regis gloriam deminuerant et pro nihilo putaverant, invenimus. Orosius igitur permulta cumulat opprobria priorum philosophorum et quam foedissime regis mores describit.

Fieri non potest, quin in fine huius opusculi laudentur ea, quae ab Hoffmanno scripta sunt. Cuius quamquam opinioni saepe repugnavi, tamen virum doctissimum summa industria summaque subtilitate ea, quae voluisset, perfecisse non nego. Sed cum philosophorum tantum de Alexandro sententias exponere mihi proposuerim, hic illic me Hoffmanni iudicia recte aut amplificavisse aut delevisse puto. Potissimum enim ille, quantopere secundo p. Chr. n. saeculo philosophorum voluntates commutatae essent, non perspexit, cuius rei ipse magnopere operam dedi. Praeterea ille complurium quaeque auctorum verba coniunxit eorumque sententias exposuit, contra meum erat etiam in singula singulorum philosophorum iudicia accuratius inquirere. Fortasse denique aliquid utile effectum esse puto eo, quod demonstravi, quo tempore Seneca libros „de beneficiis" scripserit et Dio orationem IV habuerit.[1]

[1] Cum iam sub prelo esset opusculum meum, ea mihi occurrerunt, quae de Hoffmanni libro recensuerit Wendland (Deutsche Literaturzeitung, XXX. Jahrg. Nr. 25, 1909).

Index.

Vita.

Natus sum Ludovicus Eicke patre Friederico matre Elisa e gente Dreyer a. d. VII. Kal. Iun. 1881 Brunsvigae. Fidem confiteor evangelicam. Brunsvigae frequentavi gymnasium, quod appellatur Martino-Catharineum. Testimonium maturitatis nactus Monachum me contuli, ut totum me darem litterarum rerumque antiquarum studiis. Inde Gottingam migravi. Cum autem Georgiae Augustae viri docti tria me docuissent semestria, gravi oculorum morbo implicatus medicis auctoribus studia intermittere constitui. Sex mensibus domi peractis Soltau in oppidum prope Hannoveram situm profectus sum, ut pueros docerem. Inde a vere anni 1907 Rostochii versor.

Docuerunt me viri docti Monacenses: Crusius, Furtwängler, Götz, Heigel, Lipps, I. Müller, Weymann, Wöllflin, Gottingenses: Baumann, Busolt, Lehmann, Leo, Schwartz, Wackernagel, Willrich, Rostochienses: Bloch, Geffcken, Kolbe, Plasberg. Seminarii philologorum Gottingae et Rostochii sodalis fui, praeterea ad exercitationes me admiserunt historicas Bloch, Busolt, Kolbe, Götz, ad grammaticas Wackernagel, ad philosophicas Baumann. Quibus omnibus viris optime de me meritis, praecipue autem Iohanni Geffcken, qui neque huic commentationi favere desiit, neque umquam consulenti consilio, opera, labore defuit, gratiam quam maximam habeo semperque habebo.